DE XENOPHONTIS HELLENICORUM AUCTORIS IN REBUS SCRIBENDIS FIDE ET USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VI. DECEMBRIS M. A. MDCCCLXVII.
HORA XII.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS MEYER,
POMMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. GROPIUS, STUD. PHIL.
G. ZIETZSCHMANN, STUD. PHIL.

HALIS,
FORMIS PLOETZIANIS.

I.

Quum quaeritur sitne auctor in rebus, quas memoriae tradiderit, cum fide versatus, duas potissimum res diligenter indagandas esse apparet. Atque in antiquo rerum scriptore primum statui oportet, qua fuerit vitae conditione et quae temporum opportunitas ei contigerit ea, quae litteris mandare sibi proposuit, diligenter colligendi recteque diiudicandi. Quod quanti momenti apud aetatis Xenophonteae auctores fuerit, quibus neque tanta librorum varietas quanta nostratibus neque multae illae, quae nobis, verum perspiciendi rationes paratae erant, ut rebus gestis, quas conscripturi erant, aut ipsi interesse aut ex aliis, qui interfuerant, explorare necesse esset, quis est quin videat? Itaque Hecataeum, Herodotum, Theopompum, alios varias orbis regiones permigrare videmus, rerum copiam, quam postea ordine descriptam in lucem ediderunt, undique conquirentes et Thucydides, in remoto Thraciae angulo constitutus, res, quae per Graeciam aut finitimas terras gerebantur, religiose observare, secum reputare et si quid maiore diligentia dignum videbatur, id in ipsis locis, ubi gestum erat, cum cura investigare solebat. Deinde in rerum scriptore quaeritur, quali fuerit ingenio et animi indole, quae ad historias conscribendas plurimum valent. In iis inprimis posita est iudicii integritas, quam omnis auctor, si fidem sibi haberi vult, praestare debet. Nam qui ingenio est minus perspicaci aut certis opinionibus praeoccupatus, is sine ira et studio res conscribere nequit.

Res, quae Xenophontis historia graeca continentur, omnes, auctore vivo, factae sunt neque quidquam in ea invenitur, quod nisi ipse vidisset ex aliis hominibus cognoscendi potestas ei non fuerit. Nunquam, ut Thucydides in prooemio et aliis locis, in rebus a sua aetate remotis versatur, quae nisi acerrime coniiciendo, id quod Xenophontis omnino non proprium est, saepe non explicari possunt, et quidquid narrat, in omnium aequa-

lium conspectu positum erat. Deinde plerispue rebus, quas exponit, ipse interfuit, ut iis, quae ab eo traduntur aut iudicantur, fides non deneganda sit. Ol. XCVI, 3 (401 a. Chr.) Athenas reliquit, ut ad Cyrum minorem pergeret. Res igitur, quae inde a pugna apud Cynossema usque ad Thrasybuli amnestiam gestae sunt quaeque quanti momenti fuerint nemo ignorat, in ipsa patria, ad quam illae vehementer pertinebant, commorans vidit et observavit, ut summa ei in hac narratione fides tribuenda sit, praesertim quum in historiis illorum VII annorum scribendis etiam commentarios a Thucydide adumbratos ab eo adhibitos esse veri non dissimillimum sit. Cyri expeditionis adversus fratrem regem particeps fuit et, adolescente regio interfecto, quum populares ex summo periculo eripuisset, praeclarum facinus, quod ipse tam egregie descripsit, perpetravit. In rebus Graecorum, quae inde ab anno, quo pristini Cyri milites cum Thibronis exercitu se coniunxerunt, usque ad pugnam Coroneensem, si quisquam, Xenophon locuples testis habendus est. Quae in hac Hellenicorum parte de expeditione Thibronis, Dercyllidae, potissimum Agesilai in Persas leguntur et maximam fidem habent et iam tum auctorem singula, quae postea accuratius exponeret, conscripsisse ostendunt. Quibus in rebus quanta apud scriptores, qui postea fuerunt, Xenophontis auctoritas fuerit, inde apparet, quod, ut Apollodorus grammaticus ap. Euseb. praep. evang. p. 465 narrat, Theopompus, quem valde suspiciosum et ad reprehendendum praeter modum proclivem fuisse audimus, colloquium Agesilai et Pharnabazi ex IV. libro Hellenicorum suis historiis inserere non dubitavit. Agesilai regis, quem vehementer adamaverat, consuetudine diu utebatur, ut quae ad res Graecorum, in quibus illius praecipuae erant partes, pertinebant, facile comperire posset. Equidem veri haud dissimile puto, Xenophontem etiam post reditum in Europam, quum iam sedem ac domicilium Scillunte collocasset, cum illo per varias in Graecia expeditiones inter *τοὺς περὶ δαμοσίας* fuisse. Qui legerit, quam multus interdum sit in rebus vel minimis, quae ad illum virum pertinent, enarrandis, veluti quam accurate quae dixerit, egerit, instituerit rex, clade illa ab Iphicrate Lacedaemoniorum morae inflicta (IV, 7, 4), id facile intelliget. Xenophon, quum Scillunte consedisset, in loco Grae-

ciae versabatur, ubi de iis, quae in universa patria gerebantur, haud difficulter certa et fide digna congerere posset. Non procul aberat Olympia, quo magna hominum multitudo ex omnibus Graeciae regionibus confluebat, quos quin adierit, ut ex eorum colloquiis quid in cuiusque patria gereretur vel gestum esset, perciperet, haud dubium videtur. Nullius autem partis Graeciae res accuratius cognoscendi copia ei facta est quam Peloponnesi, cuius tumultus etiam otium et tranquillitatem auctoris anno 365 a. Chr., ut Od. Mueller vult, turbasse audimus. Quamobrem auctorem plus diligentiae in res Eleorum, Arcadum, Phliasiorum, aliarum paeninsulae gentium, quas proptes vicinitatem optime cognoverat, quam in ea, quae in aliis Graeciae regionibus facta erant et quae, ut res maritimae, saepe multo maioris ad res Graecorum erant momenti, contulisse videmus. Atque omnino in fide, quanta sit Hellenicis Xenophonteis, perpendenda nunquam negligendum est, scriptorem per multos annos inde a tempore, quo in Asiam transiit, usque ad illud, quo exsilio liberatus in patriam revertit, semper aut apud exercitus Lacedaemonios aut in eorum finibus ant prope ab iis commoratum fuisse. Hinc multa, quae in eius historia graeca permira nobis videntur, repetenda sunt! Quum postea Scillunte Lepreum, inde Corinthum domicilium transtulisset, id auctori res Graeciae conscribenti peropportunum fuisse quis infitietur? Quae urbs, in confiniis Peloponnesi et Helladis ad mare sita, quae quidquid grave communi patriae accidit et ipsa semper experiebatur magnaque omni tempore hominum undique concurrentium multitudine affluebat, in loco rerum auctori opportunissimo posita erat. Quae quum ita sint, quis eiusmodi vitam Xenophonti contigisse negat, ut res per universam Graeciam gestas videndi vel audiendi et materiam silvamque, qua suas historias exstrueret, undique amplissimam congerendi multas occasiones haberet?

De ingenio moribusque Xenophontis inter antiquitatis peritos vix discrepatur, ut satis habeam exponere, quomodo id ad historiam scribendam aptum atque idoneum fuerit. A pluribus, qui de Socrate eiusque discipulis memoriae prodiderunt, traditum est, Xenophontem ad recondita et subtilissima magistri praecepta non admissum praecipue omnem eius, quae de vita

et moribus est, philosophiam in suum usum convertisse. Quod reputantibus nobis, qualem ipse in Memorabilibus et Symposio et qualem Plato in dialogis sapientem illum eiusque doctrinam fuisse tradiderint, haud alienum videbitur. En habes, quod de Xenophontis rerum scriptoris ingenio sentiendum sit! Namque eandem animi indolem, qua adductus, quaestionibus altioris et sublimioris naturae neglectis, nihil appetebat nisi res ad communem vitae usum pertinentes, etiam in rebus Graecorum scribendis prae se fert. Qui vitae felicitatem, summum, ut opinatur, bonum homini expetendum, assequi studet, is deos religiose venerari, cupiditatibus temperare, virtuti adhaerescere, in omnes artes, quae corpus sanum, sanam mentem reddunt, incumbere debet, ut illa praeclara animi vitaeque concordia concentusque, cuius ipse erat optimum exemplum, efficiatur. Haec summa fere est eius philosophiae per omnes eius libros diffusae. Atque hoc vehementissimum studium, quo auctor ad civilem sive ethicam philosophiam ferebatur, nobis de diligentia et fide, qua res suae aetatis conscripsit, iudicium laturis semper considerandum est. Hac ingenii propensione, qua fuit Xenophon, ad ea inprimis, quae ad vitae usum moresque spectabant, eligenda atque oculis subiicienda, id certe quidem probatur, illum et in rebus earumque causis indagandis describendisque et in hominibus depingendis verum, quantumcunque poterat, sectatum esse neque quidquam cum fraude occultasse aut finxisse aut corrupisse. Quid magis a Xenophonte, quem perfecta illa, quae vocatur, *καλοκἀγαθία* praeter ceteros floruisse et apud alios legimus et ex ipsius scriptis satis compertum habemus, abhorret eiusque moribus indignum videtur quam in rebus patriae describendis consulto mentiri et dissimulare? Qui, ut plerisque nunc comprobatum est, illi libro, quem de pulcerrimo vitae suae facinore diligentissime composuit, ad maiorem ei fidem apud lectores conciliandam, laude scriptoris spreta, Themistogenis Syracusani nomen inscripsit, is quantopere gloriam fidei veritatisque concupiverit, satis superque praestitisse videtur.

Hoc largiendum est, Xenophontem hoc studio ad rationem in historia scribenda ineundam adductum esse, ut ita dicam, augustiorem et parum amplam. Perlustrantibus nobis Hel-

lenica in quinque posterioribus libris magnus locorum numerus occurrit, quos ut quid ex rebus, quas modo narraverat, discendum esset, interposuit.[1]) Si attente eos consideramus, miramur, quam leves et simplices, quam nihil subtiles sint et auctorem in rebus, quas narrat, nihil aliud vidisse nisi quod ante pedes est, communi intelligentiae, etiam auctore non indicante, planum et perspicuum. Ex iis elucet, quam nihil amplum et late patens fuerit consilium, quod quum historias suae aetatis conscribendas susciperet, Xenophon sibi proposuit. Nescit, ut Thucydides, quem neque arte scribendi neque ingenii acumine exaequat, occultas rerum causas penitus perspicere, multas res uno conspectu comprehendere et quomodo ad unum maximum eventum conspiraverint, eruere et explicare. Ut duo tantum exempla afferam, Xenophontem prorsus fugit, quanti ad res Graecorum momenti fuerit et quam quasi totam Helladis faciem immutaverit pugna Leuctrensis, qua Lacedaemoniis principatus Graeciae ademtus et ad Thebanos delatus est, de qua re gravissima ne minimum quidem significat. Quid de pace ab Antalcida conciliata dicam? quam ita narrat, ut neque id, quod singulae partes apud regem sectabantur, claro appareat neque rationes inter Graecos et Persas intercedentes plane intelligantur. Satis habet singulas res aliam post aliam deinceps modo brevi praecidere, modo accuratius explicare neque raro rebus levioribus minorisque momenti plus spatii quam gravissimis tribuit[2]).

---

[1]) Peterus et qui eum in hac re sequitur, Breitenbachius, omnes illos locos communes, quibus Xenophon aut deorum potentiam, qui impietatem hominum castigant, ante oculos ponit aut, quod saepissime fit, duci militari praecepta quaedam suppeditat aut alia, quae ad communis vitae usum spectant, indicet, uno vinculo ligatos esse atque universo operi (falso enim in duobus quoque libris prioribus Xenophonti consilium docendi esse opinantur) certum quoddam consilium, quod ex V, 4, 1 appareat, subesse putat. Hoc mihi haudquaquam probatur. Hellenicis non minus quam Cyropaediae naturam, quae dicitur, ethicam esse facile concedo, sed illae animadversiones, quas historiae graecae inseruit, tam diversae, tam fortuito et sine certa ratione interspersae sunt, ut ad unum communem finem omnes eas conspirare mihi persuadere non possim. Quam multae in Hellenicis sunt res, quibus narratis nihil eiusmodi auctor addit, quamvis ea sint natura, ut, si re vera id, quod dicit Peterus, Xenophonti propositum fuisset, ille docendi occasionem non neglecturus fuerit.

[2]) cf. VII, 2, 1 *ἀλλὰ γὰρ τῶν μὲν μεγάλων πόλεων, εἴ τι καλὸν ἔπραξαν*

Non acriter scrutatur, quomodo alia ex alia apta colligataque sit, quaenam sit origo atque fons, unde manaverint dirae illae discordiae, quae Graeciam per tot annos misere turbarunt et tandem pessumdiderunt, quid ad statum civitatum singularum immutandum valuerint, quae fuerint praecipua factionum consilia, denique quae summae et immutabiles historiae leges ex illis perpetuis rerum Graecarum fluctibus cognoscendae sint, haec et quae alia sunt eiusmodi scriptori, qui illam aetatem eventuum varietate insignem litteris illustrandam suscepit, nequaquam omittenda, a Xenophonte prorsus neglecta sunt.

Ex illa, cuius mentionem fecimus, ingenii Xenophontei natura non minus quam ex consilio angustis finibus cirumscripto, quod in historia scribenda sequi solet, maxime repetenda est gravissima omnium, in quas incidit, reprehensio i. e. immodicum illud Lacedaemoniorum studium, quo effectum est, ut fides et auctoritas Hellenicorum a multis neque semper immerito suspecta habeatur. Atque ille, qui fertur, Laconismus non tam in eo cernitur, quod studio causae Laconicae occaecatus falso de iis, quae illi eorumque adversarii gesserunt, iudicet, quam quod in rebus eorum explicandis multus et verbosus est, Atheniensium autem, Thebanorum, aliarum, quae adversus Lacaedaemonios illis temporibus steterunt, res fortiter excellenterque gestas aut saepe omittit aut iusto brevius ac negligentius exponit. Si quali fuerit ingenio Xenophon, recte intelleximus, non est mirum, quod magistri exemplo Athenienses eorumque mores aversatus Lacedaemonios, viros fortes, qui in illius temporis morum corruptela et pravitate in dies magis gliscente, maxime omnium gentium priscae aetatis disciplinam servasse et ad illius imaginis, quam animo conceperat, similitudinem proxime accedere ei videbantur, eo vehementius adamaverat. Quum ipse quasi invitus Spartanorum ingenio et moribus ipsius indoli adeo consimilibus alliceretur, et longo usu consuetudineque, quibus cum iis iunctus erat, et beneficiis, quae ab iis acceperat, effectum est, ut totum fere sese iis dederet. Qui artes milita-

---

ἅπαντες οἱ συγγραφεῖς μέμνηνται· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, καὶ εἴ τις μικρὰ πόλις οὖσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται, ἔτι μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν. et IV, 8, 1 *καὶ τῶν πράξεων τὰς μὲν ἀξιομνημονεύτας γράψω, τὰς δὲ μὴ ἀξίας λόγου παρήσω.*

res, venatorias, gymnicas, quibus Lacedaemonios reliquis Graecis semper antecessisse constat, tanti faceret, qui rempublicam paucorum consiliis administrari optimum duceret, qui Graecis pugnam contra Persarum imperium a Lacedaemoniis tam acriter susceptam et continuatam nunquam doponendam esse censeret, qui quidquid praeclarum et pulcrum existimaret, Spartae summo studio coli atque exerceri videret, is facere non potuit, quin in rebus Lacedaemoniorum eorumque, qui contra eos stabant, describendis saepius in errorem incideret variisque opinionibus praeoccupatus neque his neque illis aequum tribueret. Dubito, num rerum scriptor in ea, qua Xenophon usus est, vitae ratione collocatus, quum rerum, quas scripsit, ipse semper fere particeps neque, ut Thucydides, e mediis partium fluctibus remotus esset, vel etiam multo maiore quam Xenophon ingenii acumine praeditus, amimum a studio partium alienum semper praestiturus fuerit. Itaque, quamquam in Mansonis, qui, multis locis de iniquitate iudicii Xenophontei ex Hellenicis congestis, acerbius in eum invehitur, sententiam discedere dubito, tamen neque Delbrueckio, acerrimo Xenophontis patrono ac defensori, qui laudabili studio in omnibus contra clientis sui veritatem criminibus diluendis plerumque frustra desudat, neque Cypriano assentior, qui ab epitomatore commissum esse existimat, ut fides auctoris historiae graecae apud nos in suspicionem veniret. Hic si rationem, quam epitomator in Hellenicis circumcidendis secutus est, recte explicat, intelligitur, reliquias, quae ad nos pervenerunt, pristinam operis conditionem etiamnunc prae se ferre. An putas, id ab epitomatore ita adulteratum esse, ut Xenophon in Hellenicis, qualia quidem nunc sunt, alius atque in reliquis suis libris exsisteret? Quid? Quomodo probari potest, epitomatorem id egisse, ut partes operis, quae laudes Lacedaemoniorum continebant, integras servaret, alias, unde eosdem minus laudandos esse apparebat, eiiceret? Quod eo minus nobis probatur, quo plura in Hellenicis reperiuntur, quae etiam reliquorum Xenophontis librorum propria sunt. Studium laconicum, cuius aperta in hoc opere vestigia deprehenduntur, epitomatoris vitio in id infusum esse ne putemus, admonent plures inter reliquos auctoris libros, ut qui de republica Lacedaemoniorum et Atheniensium sunt, unde quan-

tum Xenophon ab Atheniensium ingenio moribusque abhorreat Laconumque cupidus et studiosus sit, facile colligi potest.

Sed haec hactenus. Postquam quanta fides et auctoritas Xenophontis historiae graecae adsit, in nniversum exposuimus, nunc res singulae, quas narrat, examinentur.

II.

Initium libri primi magis quam ullam aliam operis partem interpolatorum et epitomatoris manu corruptum esse, interpretes Xenophontis uno ore consentiunt. Itaque difficile est iudicatu, quantum fidei huic parti tribuendum sit, quum fere singula quaeque sectio suspicionem moveat neque continuum rerum ordinem nisi coniiciendo saepissime assequi possimus. Nostrum est, ut quantum ea, quae ex Hellenicis nobis relicta sunt, ad res illorum temporum cognoscendas, testimoniis aliorum, qui in eodem argumento versati sunt, adhibitis, valeant, quam brevissime exponamus. In quo maxime cavendum est, ne multum coniiciendo ea, quae non iam evinci possnnt, assequi studeamus. Quod Aem. Muellero („de Xenophontis historiae graecae parte priore dissertatio chronologica. Lips. 1856) mnltis in rebus accidit, qui quum admirabili sane sagacitate assiduitateque multa, quae omnino nobis erepta esse puto, eruisse sibi visus esset, ad postremum facere non potest, quin omnia incertis coniecturis niti sese non fugere ipse fateatur. Equidem non id ago, ut quid Xenophon fortasse scripserit inquiram (haec enim quaestio perraro profligari potest), sed quid in Hellenicis, qualia quidem nunc sunt, iure desideretur, quid fide dignum, quid minus credibile sit, quantum fieri potest, exponam. Qua in re, quantumvis singula spectanda sunt, nostra disquisitio, ne interpretationis Hellenicorum historicae speciem habeat, plus minusve universa esse debet, res minoris momenti interpretibus investigandas relinquens.

Ac primum quidem, quantumvis Spilleri [1]) et Breiten-

[1]) Spiller Commentatio historico — critica de Xenophontis Hellenicis. Nov. Annal. Lips. 1840, suppl. vol. VI fasc. 1 (p. 528 sq.). — Spiller Quaestionum de Xenophontis histor. graec. specimen Vratisl. 1843.

bachii[1]) labores sint laudandi, desperandum tamen videtur, haec verba: *μετὰ δὲ ταῦτα οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον ἦλθεν ἐξ Ἀθηνῶν Θυμοχάρης ἔχων ναῦς ὀλίγας· καὶ εὐθὺς ἐναυμάχησαν αὖθις Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι, ἐνίκησαν δὲ Λακεδαιμόνιοι ἡγουμένου Ἡγησανδρίδου* cum rebus, quas Thucydidis in extremo octavo libro narrat, tam arcte colligare, ut eo ipso loco, quo Thucydides substitit, Xenophon filum narrationis excepisse nec quidquam praetermisisse videatur. Quo referendum est *μετὰ δὲ ταῦτα*? Quod initium obscurius esse potest? utrum ad pugnam apud Cynossema (Thuc. VIII, 104) an ad Alcibiadis in Samum iter (Thuc. VIII, 108) spectat? an ad pugnam, qua idem Hegesandridas Thymocharem prope Euboeam vicit (Thuc. VIII, 95)? Neque liquet, quo referendum sit *αὖθις*, qua voce haud dubie contrarium aliquid significatur, praesertim quum verba *ἐνίκησαν δὲ Λακεδαιμόνιοι* sequantur, quae vix ad aliam rem referri possunt quam ad proelium, quo Mindarus paulo ante devictus est. Absunt praeterea omnes temporis et loci, quo certamen alterum inter Thymocharem et Hegesandridam commissum est, notationes accuratae. Quum tamen verisimillimum sit, Xenophontem Thucydidis opus, commentariis, quos ille reliquit, in auxilium vocatis, continuasse[2]) et quum res, quae initio libri

---

[1]) Breitenb. praef. Xen. Hell. (in sua editione).

[2]) Xenophon, quae in historia graeca narrat, omnia aut testis aut ore aequalium certior factus haud dubie narrat. Valde incertum, num quid ex Cratippi libris petiverit, qui Thucydidis aequalis opus eius ad ea usque tempora, quibus Conon opus patriae profligatas erexit, continuavit nec minus quid Philisto Syracusano, qui res Siculorum scripsit in iis locis, qui de Sicilia in Hellenicis sunt, maxime ab epitomatore corruptis, debeat. Neque exploratum habemus, illorum libros Xenophonti, qui eorum aetati suppar fuit, notos fuisse (cf. Volckmar Comment. de Xenoph. Hell. Gotting. 1837 p. 19). Sed non iam dubitandum est, quin in priore parte Hellenicorum commentarios a Thucydide relictos, quos Scaptesulae nactus esse fertur, secutus sit, qua re multum fidei eius narrationi accedit. De hac re toties retractata inspicias ea, quae Volckmar p. 9—14, Breitenb. praef. edit. p. X, K. W. Krueger Untersuchung. über das Leb. des Thuc, p. 80 disseruerunt. Haec tamen quaestio nondum profligata est, quo loco Xenophon ea, quae narrat, e Thucydidis commentariis petere desinat et nullius auctoritate adiutus suis viribus ingredi coeperit. Si Xenophon Thucydidis historiam, commentariis eius adhibitis, supplevit, eum ibi quoque illum sequi destitisse consentaneum est, ubi Thucydides finem sui

Xenophontei leguntur, pauco tantum temporis intervallo ab iis, quas Thucydidis extremo lib. VIII narrat, seiunctae sint (cf. Breit. ad I, 1, 1) et in universum cum his conciliari possint, plura in initio operis Xenophontei intercidisse pro certo sumatur. Xenophon enim haud dubie initium operis sui ita instituit, ut, quomodo cum Thucydidei clausula cohaereret, plane intelligeretur. Quare epitomatori tribuendum esse videtur, si initium Hellenicorum propter hanc eximiam brevitatem fide minus dignum habetur.

Quod in § 2. sequitur, non minus abruptum est. Quis fuerit Dorieus, non tradit auctor. Thucydides eum Mileti reliquerat, Xenophon autem eum ex Rhodo in Hellespontum profectum fuisse dicit. Diodorus ex angustiis nos eripit, qui XIII, 38 a Mindaro illum ad seditiosos pacandos in Rhodum missum esse narrat. Sed ne sic quidem omnia expedita sunt, quod interpretes non viderunt, quum Thucyd. VIII, 99 Mindarum Miletum navigasse scribat.

Quae inde a §. 2 legis, iis facile fidem habeas, etsi hic quoque plura iusto brevius narrantur. Ne dicam de parva discrepantia, quae inter Diodorum et Xenophontem de pugna ab Atheniensibus cum Dorieo commissa est, addendum auctori Hellenicorum fuisse censeo, Mindarum, quum Dorieum sibi adiunxisset, Abydum profectum hostem ad pugnam provocasse (cf. Krueger ad Dion. Hal. Hist. p. 284). — §. 5 et 6 pugna Abydena satis dilucide et copiose explicatur. §. 9 brevitatem Xenophontis vel fraudem epitomatoris vehementer reprehendimus. Quidnam movit Tissaphernem, ut in Alcibiadem, quo adhuc amicissimo usus erat, repente tam hostiliter ageret? Neque omnino ex Xenophontis historiis semper plane cognosci possunt Persarum, qui temporibus adeo semper inserviebant, consilia, quae fuerint quoque tempore et quid spectaverint. Hic, ut nemo non

---

operis constituerat (V, 26). Quare finis supplementi non idem esse videtur, qui libri secundi Xenophontei, id quod adhuc viri docti existimabant, sed §. 10 capitis 3, libri II illam priorem partem claudit, unde novum opus exorditur. Quod confirmatur natura illius prioris partis a nobis ita circumscriptae. Accedunt multae rationes, unde auctorem in hac longe aliter narrationem atque in ea, quae inde a II, 3, 10 sequitur, parte instituisse manifestum est. Qua de re subtiliter agunt sectiones II et III dissertationis Aemilii Muelleri.

videt, Alcibiade in vincula coniecto, Lacedaemoniis favet neque multo post (§. 32) Passippidam, qui Thasios, ut ab eorum causa deficerent, adduxit, a satrape in hac re adiutum esse legimus. Nihilominus Tissaphernem postea in acie contra Thrasyllum Atheniensem stare videmus (I, 2, 6). §. 11 — §. 19 proelium navale Cyzicenum ab auctore brevissime pro Diodori et Plutarchi descriptionibus expositum. Itaque factum est, ut Schneiderus et Dindorfius ad h. l. multa hic intercidisse, Peterus in comment. crit. p. 21 plura transposita esse suspicentur. Equidem, etsi nimiam exilitatem facile largior, nullam tamen rem a Xenophonte omissam esse arbitror, qua ad conjunctionem rerum perspiciendam carere non possumus; §. 12 de rebus, quae Theramenes, priusquam ad Alcibiadem navigavit, in Euboea et Macedonia gessit (cf. Diod. XIII, 47. 49), nihil afferunt Hellenica, unde eum, ut Thrasybulum antea, in pecunia congerenda occupatum fuisse audimus. Quum Xenophon, pugna Abydena descripta, §. 9 ita scribat: *ἐντεῦθεν πλὴν τεσσεράκοντα νεῶν ἄλλαι ἄλλῃ ᾤχοντο ἐπ' ἀργυρολογίαν ἔξω τοῦ Ἑλλησπόντου*, probabile mihi videtur, tum utrumque a classe Alcibiadis, ut pecunias exigerent, discessisse. Quod si probatur, nescio quo modo hanc Diodori et Xenophontis discrepantiam conciliemus. Ut dolus, quo Alcibiades Lacedaemonios oppressit (§. 16), minus apud Xenophontem appareat, haud dubie vitio epitomatoris est commissum, qui, ut ex Plutarchi, qui permulta ex Hellenicis petivit, Alcib. c. 28 intelligitur, non pauca in verba: *ἀπειλημμένας ὑπ'* (*ἀπ'*?) *αὐτοῦ* coercuit. (Cyprian.) — Cur in verbis *τὰς τῶν Ἀθηναίων τριήρεις οὔσας πλείους τε πολλῷ ἢ προτερον* (§. 17) plures interpretes haeserint, quo sint referenda, equidem miror. Nonne Theramenis et Thrasybuli navibus quadraginta (§. 12), quibus Alcibiades *σὺν πέντε τριήρεσι καὶ ἐπακτρίδι* se adiunxit, classem Atheniensem quadraginta navium (§. 8) ad numerum sex et octoginta auctam esse legimus?

Post hoc proelium de Endio legato, qui a Lacedaemoniis pacis petendae causa Athenas missus, Cleophonte inprimis auctore, re infecta revertit, nihil apud Xenophontem legitur. Quae legatio quum a pluribus (Diod. XIII, 52. 53. Schol. ad Eur. Orest. 371. 372, Justin. V, 4) referatur et veri haud dissimile sit, Lacedaemonios duabus deinceps cladibus affectos aliquan-

tum de prospero belli eventu desperavisse, aut epitomator hanc rem ex Hellenicis extirpavit aut Xenophon, studio Lacedaemoniorum adductus, ne quid ignominiae iis pararet, eam omisit (Volckmar. l. c. p. 30). Utrumque habet, quo commendetur. Qui hanc rem ex Hellenicis excidisse putant, mentione, quam Plutarchus quoque in vita Alcibiadis eius facit, adducuntur, ut ita faciant. At Plutarchum, quamquam saepissime Xenophontis vestigia premit, etiam alios scriptores in auxilium vocavisse constat (cf. Volckmar l. c. p. 30).

Inde a §. 27 usque ad §. 32 multa de Syracusanis, qui Peloponnesiis auxilio venerant, leguntur, quae variis de causis gravissimam suspicionem corruptionis movent, ut iis confidere iure dubitemus. Ac primum quidem auctor in his rebus verbosior est quam pro earum gravitate, rebus maximi momenti modo obiter explicatis. Tum oratio Hermocratis apud milites habita, quae, ut saepe fit in Hellenicis, subito ex obliquo sermone in rectum vertitur, plures res sibi repugnantes exhibet (cf. de iis Dindorf. et Breitenb. ad loc.), deinde in §. 31 de Hermocrate Tissaphernem Spartae accusante (id quod Thucydid. VIII, 85 superiore iam anno factum esse scribit) et, pecunia a Pharnabazo amicissimo accepta, impetum in patriam moliente ea leguntur, quae propter temporum ordinem ab hoc loco prorsus abhorrent, tum eos, qui in Hermocratis exsulantis locum domi suffecti erant, praetores bis (§. 20 et 31) in Asiam advenisse inepte narratur, denique classis Syracusana Antandri, Pharnabazo auctore, aedificata, quando et qua de causa subito Miletum venerit, non audimus. Sane, si quidquam, illae paragraphi, ut sunt misere laceratae et confusae, funestam sortem, in quam Hellenica inciderunt, demonstrant.

Res a Thrasyllo Atheniensi prospere ant male gestae satis dilucide inde a. I., 32, usque ad I, 2, 10 explicantur. At hic quoque singula, ne Xenophontis narrationi temere confidamus, admonere videntur. Namque in §. 36 naves Lacedaemoniorum in Hellespontum, ut commeatum frumentarium Atheniensium interciperent, missae fugantur seque Sestum recipiunt. Aliunde tamen (1, §. 11, cf. 2, §. 13) compertum habemus, hoc oppidum ab Atheniensibus tum occupatum fuisse. Mihi probabile videtur, illas naves, quae paulo post Byzantium contendunt,

non multum temporis Sesti commoratas esse, fortasse ut aliquantum a clade modo accepta respirarent; sed ne locus obscurus esset, hoc dicendum fuisse quis est quin videat? — Deinde I, 2, 8 naves Syracusanae Ephesiis et Tissapherni auxilio veniunt, haud dubie illae nuperime Antandri aedificatae, quas praetores novi Syracusis missi ab Hermocrate acceperant. Sed quae erant *Σελινούσιαι δύο*? quando et unde venerunt? An eae, de quibus Thucyd. VIII, 26 *τῶν τε γὰρ Σικελιωτῶν — εἴκοσι νῆες Συρακοσίων ἦλθον καὶ Σελινούντιαι δύο.* At hi erant nautae priorum navium, quae quum anno 412 in Asiam venissent, Cyzicena pugna captae erant. Ne duas naves recentes a Selinuntiis, qui tum temporis in tantis angustiis erant, in mare Aegeum missas esse putemus, obstant ea, quae Aem. Mueller l. c. p. 47 exponit, quem qui has minutias, unde apparet, quam confusa et incerta permulta in hac inprimis parte Hellenicorum sint, accuratius cognoscere velit, adire iubeo.

Ad ultimas lib. I capitis 2. sectiones facere non possum quin lectorem, ut animum advertat, admoneam, quum ex iis natura prioris partis Hellenicorum, qualis sit, optime intelligi possit. Quatuor res diversissimas et ne leviter quidem inter se coniunctas, quarum singula quaeque exilissime explicatur, ab auctore, obscuris temporum notis adiectis, conglutinatas videmus:

1) In §. 17 Athenienses, Alcibiade et Thrasyllo ducibus, in Asiam minorem varias incursiones faciunt agrosque regis populantur.

2) In §. 18 eodem tempore (*τῷ δ αὐτῷ χρόνῳ*) Lacedaemonii illos Helotes, qui Pylum (*Κορυφάσιον*) confugerant, *ὑποσπόνδους* dimittunt [1]).

3) In §. 18. eodem tempore (*κατα τὸν αὐτὸν καιρόν*) Achaei colonos Heracleae Trachiniensis Lacedaemoniis produnt.

4) In §. 19. Medi, qui a Dario rege defecerant, denuo in eius ius ditionemque concedunt.

---

[1]) Grote hist. gr. vol. V. p. 404, quod Xenophon Pylum nomine Laconico Coryphasii appellat eamque nihil aliud habere videtur quam vilium servorum refugium, auctorem inprimis Lacedaemoniorum, qui quam gravis fuisset huius loci iactura, confiteri nolebant, testimonia in scribendo secutum esse haud inepte coniicit.

In libri I capite 3 narratio satis plene fluit et praecipue expugnatio Byzantii ea, qua par est, diligentia describitur. Nihilosecius hic quoque rebus variis graves adversus fidem Hellenicorum suspiciones moventur. Pharnabazus, omnium adhuc adversariorum Atheniensibus infestissimus, apud Chalcedonem devictus cum iis pacisci cogitur. Utrisque de legatis ad regem mittendis convenit et decernitur, ne Athenienses incolas Chalcedonis amplius vexent. Incredibile mihi videtur, Pharnabazum, ne Chalcedon Atheniensibus traderetur, providisse contentum suis ipsius rebus adeo non consuluisse, ut eum eiusque imperium etiam posthac, salvo foedere, Atheniensibus lacessere liceret. Aut non integer est locus, ut multi alii, aut cum Schneidero et Grotio (V. p. 406) pro *Χαλκηδονίοις* ponendum est *Φαρναβάζῳ*. Haud dubie multa hic omissa sunt, quod ex Diodori XIII c. 64 et 66, qui expeditiones Theramenis, quae tempore inter pugnam Cyzicenam et Chalcedoniam interposito adversus Chalcedonios et Byzantinos factae sunt, exponit, intelligitur. Nihil de his rebus apud Xenophontem!

Nomina singulorum, quos legatos miserunt Athenienses, multa, ut suspecta habeantur, monent. Nomen Euryptolemi I, 4, 19 quoque legitur, ubi is est, quem quum in litore stantem conspexisset Alcibiades sine metu navem reliquit, qui idem, qui legatus, ideo non esse potest, quod illam legationem tertio demum anno post (cf. I, 4, 17) i. e. non multo antequam apud Aegospotamos certatum est, ex Asia rediisse Xenophon narrat et Alcibiades Maio anni 407 Athenas revertit (cf. Aem. Mueller p. 22 sq.). Negligenter sane locus et scriptus, quum ne ambigeretur, patris nomen apud alterutrum addendum fuisset, qui mos scriptorum Graecorum in Hellenicis semper negligitur. Non minus suspectum est Pasippidae nomen, si idem est, qui (I, 1, 32) ex Lacedaemone fugisse legimus. Quod vero Hermocrates inter legatos commemoratur, id rerum ordinem in hac Hellenicorum parte adeo esse conturbatum nobis persuadet, ut de eo in integrum restituendo fere desperandum sit. Nonne I, 1, 27 hunc Syracusanum, cuius in bello Peloponnesiaco gravissimae erant partes (cf. Thuc. IV, 158 sq.), in expeditione adversus patriam paranda occupatum fuisse audivimus? Isne ad finem perduxit, quod sibi proposuerat an, re male gesta, in Graeciam rediit?

Nihil de hac re in Hellenicis[1]. Si, id quod omnes interpretes fugisse video, Hermocrati imperium ab adversaria factione abrogatum fuit, mirum profecto est, quod idem a parte Lacedaemoniorum, quos quum naves Syracusanae ab iis non discederent, etiam ab hac adiutos esse videmus, stare non desiit, ut etiam munus legationis ei committeretur? A quo ad regum missus est an sua sponte ad eum contendit? Quantae caliginis omnia sunt plena!

Nunc (inde a I, 4, 8) narratio Xenophontis in reditu Alcibiadis describendo aliquanto laetius se effert ac reviviscit, ut quam memorabilis fuerit dies, quo ille, qui summorum flagitiorum accusatus in vehementissimum quondam civium suorum odium inciderat, iterum defensor patriae et patronus in eam restitutus est, cum delectatione quadam legamus. Multum tamen abest, ut Xenophon quidquid in rebus viri admirabilis exponendis a rerum scriptore iure postulamus, nobis praestet. Ex rebus, quas ille terra marique gessit, nullam fere memoratu dignam omisit, quanquam eum in his quoque saepe iusto ieiuniorem esse videmus. Quae vero ille Athenis ipsis, quam civitatem ea potissimum aetate optimatium et popularium discidiis miserrime turbatam esse aliunde constat, et suis et amicorum opibus ad rempublicam ita instituendam contulerit, ut metu adversariorum liberatus tuto redire posset; quae factio eius reditum impedire et quae obtinere studuerit, quae et qualia consilia vir temporibus inserviendi omnium peritissimus contra Tissaphernem et Lacedaemonios, quorum tum amicitia tum inimicitia utebatur, secutus sit, omnia illa ab Hellenicorum auctore ne minima quidem significatione indicantur. Quare haud immerito Schlosserus (Universal-histor. Uebers. etc. I, 2 p. 143) Xenophontem reprehendit, quod quae fuerit necessitudo Alcibiadis cum civitate Atheniensi et quomodo animos civium denuo sibi devinxerit, inde ex tempore, quo Thucydides de eo narrare substitit, non explicavit. Deinde quid Xenophon ipse de hoc viro aequali senserit, nusquam dicit. Atqui quem in Hellenicis

---

[1]) Diod. XIII, 63 primum Hermocratis impetum in patriam frustra susceptum — c. 75 eiusd. libri mortem eius, quam in introitu Syracusarum obiit, commemorat. — Cf. praeterea Muelleri tabulam, in qua res in hac parte Hellenicorum narratas inter singulos annos digessit (p. 61. l. c.)

legendis non desiderium iudicii de eo Xenophontei capiat? Nihil de singulari eius ingenio, virtutibus pariter atque vitiis insignis, accipimus. Ex diversis hominum, quae afferuntur, iudiciis (quae sectiones multis locis aperte corruptae sunt), utrum Xenophon a laudantium an detrectatorum parte steterit, non liquet. Ad postremum, quod nonnullae res, quas apud alios legimus, in Hellenicis desiderantur, aegre ferimus. Potissimum vituperatione dignum est, quod qui fuerint illi homines furore occaecati, qui, clade apud Notium accepta, ut Alcibiadi rursus imperium modo acceptum abrogaretur, a populo levissimo impetraverunt, non dicit (cf. I, 5, 16). Quanquam Xenophon ipse non dubitat, quin illam cladem Alcibiades non commiserit. Praeterea cum Volckmaro (l. c. p. 31) profecto dolendum est, quod orationem ab Alcibiade in senatu habitam, qua mysteriorum laesorum crimen refellit, Xenophon suis narrationibus non inseruit. Qua de re hoc tantum habet (I, 4, 20): *ἀπολογησάμενος*, *ως οὐκ ἠσεβήκει.*

In libri I capite 5 in medium prodeunt duo viri, qui inde ab hoc tempore in rebus Graecorum maxime praecellunt, Lysander et Cyrus. Qui quomodo consilia ad opes Atheniensium infringendas consociaverint, optime Xenophon explicat. Sequitur calamitas illa, in quam classis Atheniensium, Alcibiade absente, apud Notium incidit. Quae causa fuerit itineris eius ad Thrasybulum, e Xenophonte non apparet atque Plutarchus (Alcib. c. 35) et Diodorus de eadem inter se dissentiunt. Tum hic aliud obscuritatis Xenophonteae exemplum occurrit, quod a Schneidero interprete, qui in his rebus diligentissime versari solet, parum perpensum esse video. Quid Thrasybulum ex Thracia reversum ad Phocaeam, de qua nihil adhuc nobis compertum est, oppugnandam impulit? (*τειχίζειν* inusitate dictum pro *ἀπο*- sive *περιτειχίζειν*). Qua de causa Alcibiades huic operi interesse voluit quod magni momenti fuisse suspicamur, quum, ut hoc videret, imperium classis temeritati Antiochi permitteret? Num Thrasybulus, oppido capto, quod exoptavit, perfecit? Cui, qui hunc locum legit, haec omnia non quaerenda videntur? Sed Xenophontem nobis responsurum esse nequidquam speramus. Ex insequente demum capite (§ 34), ubi magnam Lacedaemoniorum partem, clade apud Arginusas accepta, eo

confugisse audimus, Thrasybulum fortasse re infecta abiisse coniiciendum est.

His quinque capitibus perlustratis, inde a sexto orationem manifestis lacunis vitiisque minus inquinatam reperimus atque auctor, qui quid ipse de rebus et hominibus iudicaret, adhuc caute reticere videbatur, maiore quodam cum animi ardore in rebus scribendis versari coepit. Callicratidae enim imaginem ita depictam videmus, ut neque quidquam desideretur et illum ducem generosum et fortissimum Xenophonti in deliciis fuisse facile cognoscatur. Res apud Methymnam et Arginusas gestae copiose sunt explicatae. Hic primum homines orationes sermone, qui vocatur, recto longiores habent (cf. quae Callicratidas apud milites et Chii incolas dixit), ut ab exsanguis orationis siccitate aliquantum respirare nos posse gaudeamus. — Quae hic quoque minus certa nobis occurrunt, ea haud magni momenti videntur esse. Nomen Leontis, qui inter decem Atheniensium imperatores a Xenophonte § 16 numeratus erat, interpretibus iure suspectum videtur, quod Diodor. XIII, 99 et 101 nomen Lysiae, quod apud Xenophontem quoque V, 6, 30 et I, 7, 1 invenimus, habet, et auctor Hellenicorum postea non amplius Leontis mentionem facit. Si Leon re vera fuit in numero X imperatorum, eum, postquam cum Conone Lesbum fugit, in una ex 30 navibus, quas amisit ille, a Lacedaemoniis captum fuisse aut periisse et Lysiam in eius locum suffectum esse consentaneum est. Ita Aem. Muellerus quoque iudicat, qui has minutias subtilissime pervestigavit (l. c. p. 62). Si Erasinides, qui idem Miletum cum Conone venerat, pugnae Arginusensi, ut Xenophon scribit, interfuit, dicendum erat, eum in una ex duabus navibus, quae a Conone Mileto missae Lacedaemonios effugerant, eo pervenisse. Denique, quod interpretes non animadverterunt, Xenophon sex duces Athenas redire ausos esse narrat, Conone absente, Protomacho et Aristogene propter populi timorem reditum spernentibus. Ubi relictus est Archestratus? Quod ut compertum habeamus, ad Lysiae orat. XXI § 7 fugiendum est. Haec levissima quidem fortasse videntur, sed quam nihil diligenter res singulae in Hellenicis scriptae sint, optime demonstrant. Vehementius auctor esset reprehendendus, si, quod schol. ad Arist. Ran. 1580 ex libris Aristote-

lis depromsit, a Lacedaemoniis post pugnam illam legatos pacis petendae causa Athenas venisse et, eodem Cleophonte auctore, iterum repudiatos esse verum esset. Fluctuant sententiae eorum qui nostris temporibus res Graecorum scripserunt, Clinton. Fact. Hell. ad a. 406 et E. Curtius II p. 649, de ea re non dubitant, alii, ut Grote IV p. 473, legationem illam post proelium Cyzicenum Athenas missam a scholiasta l. c. per errorem repetitam esse. Quare cavendum est, ne hanc quoque lacunam Luconismo Xenophonteo tribuamus, ut Volckmar, l. c. p. 31.

Ex iis, quae post victoriam Atheniensium in urbe ipsa facta esse Xenophon refert, facile eum intelligas effrenatam multitudinis licentiam, quae ut in viros optime de se ipsa meritos saevire posset, etiam legitima et sacrosancta reipublicae instituta illudere et infringere audebat, vehementissime detestari. Ne oligarchorum quidem, quibus eum ceteris in rebus favere videmus, foedissimas artes machinasque, quibus populum in furorem compulerunt, detegere dubitat (cf. quae I, 7, 8 de Theramene homines perditos ad miserationem vulgi plus etiam incitandam dolose subornante tradit), ut hoc loco eum acerrimum veri indagatorem fuisse eiusque narrationem summa fide dignam esse intelligatur. (cf. Schneid. ad I, 7, 4 *οἱ στρατηγοί*). Quid ipse de decem imperatoribus iudicet, fuerintne rei necne, quum ex universa narratione tum vero inde, quod solam Euryptolemi miseros duces fortiter defendentis orationem interposuit, satis apparere mihi videtur. Utinam ab ea, qua illam victoriam et quae post eam in urbe facta sunt, narrat, diligentia non recessisset et potissimum in rebus extremo belli tempore gestis copiosior esse voluisset!

Sed in extrema capitis VII sectione novum exemplum, quo quam breviter et obscure multa in Hellenicis explicentur, intelligitur, non possum omittere. Ita legitur (I, 7, 35): *καὶ οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον μετέμελε τοῖς Ἀθηναίοις* (scil. decem illos duces a se esse supplicio affectos), *καὶ ἐψηφίσαντο, οἵτινες τὸν δῆμον ἐξηπάτησαν, προβολὰς αὐτῶν εἶναι* et paulo infra: *ὕστερον δὲ στάσεώς τινος γενομένης, ἐν ᾗ Κλεοφῶν ἀπέθανεν, ἀπέδρασαν* (scil. *οἱ τῶν στρατηγῶν κατηγορηκότες*) *οὗτοι, πρὶν κριθῆναι.* Quae et quando fuit illa seditio? Quo tempore nefarii auctores in vincula coniecti sunt? Quam dubiae et ambi-

guae sunt temporis notae: *οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον* et *ὕστερον*! Cleophon quin quum Therameni eiusque sociis paulo ante Athenarum deditionem alacriter obniteretur, supplicio affectus sit, propter Lysiae (c. Agor. p. 451) narrationem accuratam non est dubium. Verbis igitur: *στάσεώς τινος γενομένης* turbae illius temporis civiles indicantur. Magna sane obscuritas orationis! Si Callixenum tantum temporis in carcere retentum fuisse incredibile videtur, priusquam iudicium de eo factum est, eumque paulo postquam vincula ei iniecta sunt, aufugisse putas, Cleophontis obitum falso huic tempori a Xenophonte tribui apertum est. Utut est, hic locus magna obscuritate laborat. Praeterea hoc est animadvertendum, Cleophontem in Hellenicis tanquam hominis haud ignoti mentionem fieri nec tamen quidquam de rebus, quas in republica gessit, ex libro Xenophonteo audimus. Sed quam vehementer ille reipublicae, maxime ultimis belli diebus studuerit, satis notum pervulgatumque est (cf. Meier de bon. damn. p. 218. 219.).

Quam callide Eteonicus ex angustiis in Chio insula se expediverit, ita narrat auctor (II, 2, 1—7) ut ipse eius consilio et prudentia, quas virtutes quanti in imperatore aestimare soleat saepe videmus, delectatus esse videatur. Itaque Peterus adductus est, ut illi quoque narratiunculae idem, quod inprimis in quinque posterioribus libros secutus esset Xenophon, consilium docendi subesse opinaretur. Quae deinde de Cyri in Autoboesacem et Mitraeum perfidia eiusdemque itinere ad patrem aegrotantem, quod bis, paucis interpositis, commemorari recte miramur, leguntur (I, 2, 8 et 13), ea cum ceteris parum arcte cohaerent neque immerito Cypriano reliquiae copiosioris de rebus Persarum narrationis ab epitomatore in has angustias coartatae videntur esse. —Nunc (inde a cap. II par. 22) cladem apud Aegospotamos et ultimos libertatis Atheniensium dies, tempus gravissimis casibus pariter atque generosis facinoribus insigne, mirum est, quam festinanter, ut ita dicam, pervolet. Quare quae ab eo exiliter afferuntur, ad res illius aetatis cognoscendas non satis esse nullus interpres non videt. Reputanti mihi, quomodo Xenophon illas res describat, de tristissima clade, qua cives affecti sunt, gaudere iisque, quae par erat accidere, accidisse opinari videtur. Cf. II, 2, 3 *πείσεσθαι νομίζοντες οἷα ἐποίησαν Μηλίους*

τε Λακεδαιμονίων ἀποίκους ὄντας κρατήσαντες πολιορκίᾳ καὶ Ἱστιαιέας καὶ Σκιωναίους καὶ Τορωνίους καὶ Αἰγινήτας καὶ ἄλλους πολλοὺς τῶν Ἑλλήνων, quae verba sententiam Xenophontis ipsius haud obscure indicant (cf. praeterea II, 2, 10). Plura omisit a singulis Atheniensibus generose et fortiter gesta. Neque Philoclis a Lysandro capti aequo animo, quo atrocissimam mortem subiit et superbo victori respondere noluit, neque constantiae, quam Athenienses crudelissima fame vexati praestiterunt, ne turpissimae pacis conditiones sibi imponerentur, ne minimam quidem laudem tribuit. Maxime vero reprehendendum est, quod statum rerum in urbe ipsa, quae initio fortiter resistere decreverat, conditionemque, qua singulae id temporis factiones in republica fuerint et quomodo viri populares ab oligarchis in Lysandri victoria exsultantibus et fame in dies magis grassante adiutis sensim e medio sublati sint [1]), modo obiter perstringit. Ut illam Patroclidis rogationem, qua liberae reipublicae studiosi animos civium confirmare voluerunt, ita de quinque ephororum institutione, qui XXX virorum dominationem tanquam praeparaverant, nihil affert. Qui orationes Lysiae, Andocidis, aliorum, qui in his rebus versati sunt, legerit, egestatem siccitatemque Hellenicorum mirabitur.

Inde a II, 2, 22 usque ad II, 3, 3 res variae, longiore temporis spatio disiunctae, negligenter coartatae sunt, ut quomodo alia aliam excipiat, non intelligatur. Sextodecimo die Munychionis septimi et vicesimi belli anni Athenienses, ut Plutarchus scribit, conditiones a Theramene oblatas accipiunt urbemque victori dedunt. Quo facto, ut refert Xenophon (II, 2, 23), Lysander in Piraeeum intrat, exules redeunt, muri disiiciuntur. Sed ad opus eiusmodi perficiendum longius temporis spatium opus fuisse quis non videt? Aliunde certo scimus, temporis aliquantum ad muros diruendos Atheniensibus a Lysandro datum esse, et quomodo Lacedaemonius, ut Lysias et Plutarchus narrant, iis exprobrare potuit, quod, muris intra constitutum tempus non eversis, foedus laesissent? Quum postea Athenienses iis, qui democratiam tollere studebant, resisterent, Lysander, qui, Athenis deditis, ad Samum obsidendam abierat

---

[1]) cf. quae pag. 19 de Cleophonte diximus.

(cf. Grote et Curtium), a Theramene arcessitus cum tota classe Piraeeum intravit (aestate anni 404 a. Ch.). In hoc tempus illa murorum eversio, quae, ut Athenienses Lysandri et Laconistarum consiliis semper reluctantes acerbissime deriderentur, „ὑπ' αὐλητρίδων“ perfecta est, optime cadere mihi videtur. Quod si recte sentio, verbis Xenophontis: *μετὰ δὲ ταῦτα* (II, 2, 23) plures menses comprehensos [1]) et multas res memorabiles ab eo sive ab eius epitomatore omissas esse manifestum est. Muris disiectis respublica trigintaviris tradita est, quos post multas demum variasque turbas cervicibus Atheniensium impositos fuisse ex Lysia et Plutarcho satis constat. Sed in his quoque rebus Hellenica, quanquam a scriptore earum testi conscripta, ridiculam brevitatem affectant eo magis conspicuam, quod duas res multo levioris momenti neque inter se coniunctas, Lycophronis Thessali victoriam et cladem Dionysii Syracusani (II, 2, 24 et II, 3, 4 et 5) hic insertas reperimus.

Praeterea hoc non omittendum est. Xenophon, quae res magni belli finis sit habenda, non tam diserte dicit, ut nulla dubitatio apud lectorem resideat. Si re vera Thucydidis commentarios, ut pluribus comprobatum est (cf. supra p. 11 ann. 1), sequitur, aut prior Hellenicorum pars, quae ultimos belli annos continet, nihil est nisi ipsi commentarii a Thucydide relicti, quibus singula tantum addidit Xenophon editor, ut Mueller. vult; bellum verbis ultimis paragraphi 23 capitis 2 libri 2 claudi apertum est, praesertim quum Thucydides ipse (V, 26) bellum urbis deditione finitum esse dicat. Sed II. 3, 9 totum belli tempus computatur et ephororum, qui per illud munere functi sunt, nomina adiiciuntur. Licet haec genuina sint, id quod Aem. Mueller. l. c. p. 12 sq. probare studet, hoc loco Xenophon belli exitum constituisse videtur, morem Lacedaemoniorum, qui bellum reditu Lysandri post Sami expugnationem (II, 3, 6—8) confectum esse putabant, secutus. Sin vero illa temporis nota (II, 3, 9): *εἷς ὅ' ἑξάμηνος καὶ ὀκτὼ* (sive *ἑπτὰ*) *καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα* nec non ephororum nomina ut spuria eiiciuntur, non liquet, quando bellum desisse Xenophon censeat. Non absonum est, eum, qui etiam

---

[1]) Herbst, Schl. b. d. Argin. p. . . . Xenophontem eiusmodi formula emper longius quoddam tempus significare solere observat.

ex actis Lacadaemoniorum publicis plura hausisse dicitur (Plut. Ages. 19) et, ut ex ipsis Hellenicis apparet, maxime pro Lacedaemoniis lectoribus historias scripsit (cf. Volckm. l. c. p. 36), seriem ephororum, quod munus his, quibus opes Spartae adeo floruerunt, temporibus summa erat dignitate, ad annos diligenter constituendos adiunxisse (cf. Muell. l. c. p. 12).

Nunc Xenophon dominationem trigintavirorum numorabi!em liberaeque reipublicae restitutionem Thrasybuli potissimum opera perfectam narrat et sane est, quod de hac Hellenicorum parte nobis congratulemur, haud dubie diligenter ab eo composita. Quae eo pluris aestimanda est, quo magis ratio historiae scribendae Xenophontis propria inde disci potest. Res, in quibus haec duo capita versantur, cum Theramenis, Critiae, Thrasybuli personis arcte aptas connexasque fuisse, ut illi omnium fere auctores et principes essent, quis est qui neget? Itaque narrationem adeo instituit, ut mores et ingenia illorum hominum describere potius quam intestinum civitatis Atheniensis statum, qualis post Lysandri victoriam fuerit, et quas conversiones subierit explicare ei propositum fuisse videatur. Plura affert, unde quo fuerit ingenio Theramenes et qua constantia, cognoscitur (cf. II, 3, 56) neque minus in rebus, quas belli gessit, copiosus est; tamen miraris, quod quibus rebus et quorum potissimum hominum impulsu, opibus trigintavirorum labefactatis, liberae reipublicae forma redintegrata sit ea, qua par est, diligentia referre noluit. Decem Piraei archontum ita mentionem facit (II, 4, 19) ac si per se cognitum esset qui fuerint aut ipse iam narrasset de huius muneris institutione (cf. Wyttenb. et Schneid. ad h. l.). Qui de iis nondum quidquam audivit, quum Xenophontem legerit, vix eos trigintavirorum asseclas fuisse suspicabitur. Nihil affert de Lacedaemoniorum edicto, quo ne qua urbs exsules Atheniensium reciperet vetuerunt. Diod. XIV, 6. Plut. Lys. 27. Pelop. 6 (*ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος ἀγωγίμους τοῖς τριάκοντα εἶναι τοὺς Ἀθηναίων φυγάδας, τὸν δὲ κωλύσοντα πέντε ταλάντοις ἔνοχον εἶναι*). Cuius rei eo magis mirum est apud Xenophontem mentionem non fieri, quum oratores, ut Dem. de Rhod. lib. p. 197 saepe eam commemorant simulque Argivorum, qui superbiae Lacedaemoniorum restiterunt, vehementer collaudant.

Ab hoc loco non alienum est, aliam rem, quam quum ad Lacedaemonios, tum ad universam Graeciam pertineat, Xenophon silentio praetervehitur, commemorasse. Qui Hellenica paulo attentius legerit, eum non fugiet, Lysandri consilia et fortitudinem, quibus ut aliquantum temporis totius Graeciae quasi princeps esset omnesque fere civitates ad Spartanorum nutum voluntatemque sese converterent, effectum est, parum dilucide exposita esse. Duabus inprimis de causis ea, quae Hellenica de hoc viro habent, non sufficere arbitror. Neque enim, quanti ad res Graecorum momenti fuerit decemvirorum et harmostarum, quos omnibus, quas ceperat, civitatibus Lysander imposuit, constitutio tantum per occassionem obiter commemorata (III, 4, 2 et III, 4, 7) neque quid ad naturam reipublicae Laconicae, quam, si quemquam, Xenophontem perspexisse probabile est, immutandam et corrumpendam consilia Lysandri atque ambitio contulerit, satis copiose explicatur. His autem factum esse constat, ut et dominatio Lacedaemoniorum brevi tempore etiam apud eos, qui ab eorum parte steterant, in summum odium perveniret et inter ipsos Lacedaemonios cives gravissimae discordiae exorerentur. Atque id ex invidia, qua propter Lysandri laudes Pausanias rex et ephori flagrabant, ut illius consilia conatusque impedire studerent, satis apparet (II, 4, 24) et haec apud Xenophontem verba: *φθονήσαι Λυσάνδρῳ, εἰ κατειργασμένος ταῦτα ἅμα μὲν εὐδοκιμήσοι, ἅμα δὲ ἰδίας ποιήσοιτο Ἀθήνας κτλ.*, quamquam ad iudicium de republicae Laconicae statu ferendum non sufficiunt, tamen exitum magni belli, quem Lysander effecit, Lacedaemoniis non salutarem fuisse demonstrant. Xenophon, ne quid ex illis arcanis aperiat, religiose sibi cavere videtur. Quod mihi narrationem, quam paulo infra (III, 3, 5) de Cinadonis coniuratione exhibet, consideranti magis etiam probatur, ubi de causis, quibus ad hoc facinus adolescens impulsus est, plures haud dubie occultat. Quod nisi fecisset, quantopere Spartani ab ea, quam Lycurgus olim praescripsit, disciplina id aetatis degenerassent et inprimis quantum de rerum civilium statu, de bonorum aequabilitate, de aliis rebus iam immutatum esset, explicandum ei erat. Xenophon, ut est obtusiore mentis acie vel potius studio Lacedaemoniorum, conspirationem ex unins Cinadonis ambitione pro-

fectam esse [1]) et iam priusquam proditor extitit deos calamitatem reipublicae imminentem indicasse scribit (cf. III, 3, 5). Quum eum tam crebro eiusmodi res, unde minus gloriae in Lacedaemonios redundaverit, omittere inveniamus (infra plures afferam) non est dubium, quin eas non invitus occultarit, ne eorum, quibus utebatur amicis et quos sibi lectores fore sperabat, ut Agesilai, animos offenderet. Sic nihil de Herippidae, cuius postea saepe facit mentionem, saevitia habet in Heracleae Trachiniensis incolas, quam Diod. XIV, 38 commemorat, neque quidquam de Lacedaemoniorum expeditione in Messenios Naupactum et Cephalleniae castellum habitantes, quos sedibus ante multos annos occupatis expulerunt, affert, quibus iniuriis odium Graecorum in Spartanos vehementer auctum esse constat (cf. Sievers, Gesch. Griechenlands p 2 et p. 15). Quis casu haec omnia ab auctore omissa esse existimat?

Ut Xenophon supra in discidiis factionumque, quae ante trigintavirorum dominationem civitatem dilaceraverant, certaminibus explicandis nobis non satisfacit, ita non dicit, quomodo illi, qui vocantur, decem, qui, quum triginta Eleusina concessissent, munus eorum in urbe susceperunt, creati sint et qui fuerint (II, 4, 24). Quamquam haec negligentia haud scio an potius sit ferenda quam quod paulo infra illam liberae reipublicae refectionem clarissimam his exilibus verbis narrat: *καὶ τότε μὲν ἀρχὰς καταστησάμενοι ἐπολιτεύοντο* (II, 4, 34), de Archino et Anyto, qui Thrasybulum adiuverant, de Tisameni regatione, de Euclidis magistratu, de factionum statu, qualis, democratia restituta, fuerit, de iis, qui inde ab hoc tempore principes in republica erant, ne vocula quidem addita. Neque ampliores in rebus civitatum internis ac domesticis sunt posteriores quinque libri, quos, quomodo scripserit Xenophon, nunc inquiramus.

Res in libris I et II Xenophontem tam inaequaliter composuisse, ut modo laudabilem accurationem, modo magnam brevitatem sequeretur, modo multa, quae dicenda erant, aut per negligentiam aut de industria omitteret ex iis, quae disserui, intelligi arbitror. Quum ad tertium librum accedimus, ab hac

---

[1]) III, 3, 11 *τέλος αὐτὸν ἤροντο τί καὶ βουλόμενος ταῦτα πράττοι. ὁ δ'ἀπεκρίνατο, μηδενὸς ἧττων εἶναι ἐν Λακεδαίμονι.*

inconstantia recessisse videtur, quum res in Asia a Thimbrone[1]), Dercyllida et maxime ab Agesilao suo gestas per plura deinceps capita ita persequatur, ut vix in ulla alia historiae parte maiore cum delectatione versari videatur. Neque errant, qui, quum auctor ipse his rebus interesset, vir rerum bellicorum adeo studiosus et peritus, et nonnulla statim litteris mandaret, id ita accidisse ideoque eius narrationibus non diffidendum esse censeant. Sed de ceteris rebus, quae non ad militares pertinent, quibus Xenophon in historiis scribendis plus aequo tribuit spatii, caveas tibi, ne temere in eius fide acquiescas. Causam, qua ut Persis, pristinis sociis, quibus solenni foedere imperium non modo de Graecis Asiae minoris, verum etiam de parte quadam Europae paulo ante, Licha et Callicratida fortiter obnitentibus (Thuc. VIII, 43), turpissime permiserant (Thuc. VIII, 18. 37 cf. Sievers l. c. p. 41) bellum inferrent, et contra eos, quorum magnis pecuniis opibusque sustentati adiutique Athenienses aemulos modo perculerant, in aciem descenderent, adducti sunt Spartani, studium fuisse dicit Xenophon libertatis Graecis Asiaticis, cui Tissaphernes imminebat, recuperandae et confirmandae (III, 1, 3). Haec sane honesta erat causa, quae ne a Lacedaemoniis quidem, quales id aetatis erant, immodica imperandi cupiditate inflammatis prorsus abhorret, solam unamque autem fuisse vix credibile est, quanquam auctores aliam non tradunt. Odium in Persarum gentem inveteratum, in quorum societatem necessitate tantum coacti, Lysandro potissimum et qui in eo nitebantur, oligarchis auctoribus, venerant, Lacedaemonios, tota Graecia pacata, novas laudes bellicas appetentes ad tantam belli molem suscipiendam instigasse manifestum est. Praeterea aliunde scimus, id quod Xenophon causis, quas nemo ignorat, adductus de industria tacet, Lysandrum, cui ephoros et Pausaniam regem in rebus Atheniensium ordinandis obstitisse in Hellenicis legimus (cf. supra p. 23) potentia, qua adhuc in republica usus erat, paulo post reditum amissa, a negotiis publicis paullisper se subtraxisse, adversariae factioni

---

[1]) Thimbronem nescio qua de causa Xenophonti non in deliciis fuisse, quod res ab illo gestas non ea, qua Diod. (XIV, 38) utitur, diligentia exponit eumque haud raro reprehendit (III, 1, 10; III, 2, 1 et 7 IV, 8, 22), multi haud immerito suspicati sunt.

reipublicae gubernaculum cedere coactum. Haec, cui nihil antiquius erat quam ut ea, quae in Asia praecipue Lysander instituerat, oligarchorum imperia quam celerrime resciinderet et deleret, invidia in Lysandrum Persarum amicum inflammata maxime omnium hoc bellum parasse videtur, praesertim quum imperium Persarum, quod quam infractum debilitatumque esset, Cyri mercenariis reversis, evidens erat, facile everti posse opinarentur. Dercyllida enim imperante, ephori patria instituta civitatibus reddi publice iusserunt (III, 4, 2). Tum Lysander, parte pristinae apud cives potentiae recuperata, Agesilaum, ut bellum susciperet, vehementissime instigavit, potestatem sibi fore sperans, ea, quae ephori resciderant, rege, cui comes futurus erat, adiuvante, reficiendi. Ad postremum quaerendum videtur, cur Lacedaemonii, si, ut liberae essent civitates Graecorum Asiaticae, ita, ut Xenophon scribit, iis curae cordique erat, non opportunissimo tempore, quo id perfici poterat, i. e. quum Cyrus bellum adversus fratrem pararet, id, quod exoptabant assequi conati fuerint (cf. Sievers l. c. p. 42). Quodcunque, ut tam subito consilia publica, quae usque ad id tempus secuti erant, Lacedaemonii deponerent, effecit a Xenophonte tantum causa omnium speciosissima et quae Lacedaemoniis plurimas gratias apud lectores conciliaret aut si quis eum hebetiore mente fuisse existimat quam qui causas magis reconditas penitus perspicere posset, cui equidem haud adversabor, maxime conspicua, quae sub omnium oculis posita erat, allata esse videtur.

Atque eadem mediocris intellegentia vel studium Laconicum (Volkm. l. c. p. 36), ne veras belli Corinthiaci causas aperiret, Xenophontem impedivit. Quis ut nationes Graeciae contra Lacedaemonios se armarent nulla alia re effectum esse putet nisi demagogorum, quos Tithraustes pecunia corruperat, concitationibus? Civitates, quae paulo post apud Haliartum, Coroneam, Nemeam in acie contra Spartanos steterunt, ut erant exhaustae et debilitatae, nisi pecunia Persarum sustentatas bellum vix suscipere potuisse haud infitiandum est. Quam vero abiectos perditosque homines eos, qui tum apud Corinthios, Athenienses, Thebanos principes in republica erant, et quales ipsos singulas gentes fuisse putas, si illi sola pecuniae cupididate,

ut bellum modo sepultum redintegrarent, adducti suut, civesque iis temere obediverunt! Neque hoc est omittendum, quod Diodorus ne minimum quidem de his pecuniis tradit, quum Xenophon hanc veram belli causam fuisse adeo sibi persuasum habeat, ut eam iterum (IV, 2, 1) proferat (*οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἐπεὶ σαφῶς ᾔσθοντο τά τε χρήματα ἐληλυθότα εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ τὰς μεγίστας πόλεις συνεστηκυίας ἐπὶ πολέμῳ πρὸς ἑαυτοὺς κτλ.*) Si veram illius belli causam cognoscere velis, orationem, quam legatos Thebanorum in concione Atheniensium habentes gravissimasque, quas Graeciae nationes a Spartanis accepissent, iniurias et contumelias aliam post atiam enumerantes Xenophon facit (III, 5, 8—15), inspicias. Quod homines Lacedaemoniis infestissimos, quibus, ut infra videbimus, ipse non multum favet, eos accusantes inducit, inde quantum fidei eorum criminationibus tribuat, coniici licet. Nam si auctor causas, quas illi afferunt, iustas et veras iudicasset, eas loco magis commodo quam in oratione adversarii explicatas inveniremus.

Jam supra vidimus, quanta in Spartanos totam Graeciam post bellum Peloponnesiacum dira tyrannide opprimentes et ne sociis quidem, quod debebant, praestantes [1], ira atque invidia singulae nationes flagraverint (cf. p. 24) Dem. de cor. p. 258 Euboeam, Tanagram, totam Boeotiam, Megara, Aeginam, Cleonas, plures insulas Spartanorum praesidiis id aetatis occupatas esse narrat. Quo saevitiae atque immanitatis harmostae, qui vocantur, processerint, Clearchi civitati Byzantinae a Lacedaemoniis praefecti exemplum satis demonstrat, quod invenies apud Diod. XIV, 12, a quo quantopere Xenophon in illius ingenio moribusque describendis dissentiat profecto mirum est. Neque quidquam Lacedaemonios ab immoderata imperandi cupididate remisisse documento est expeditio illius temporis contra Eleos, quam copiose Xenophon (III, 2, 21 - 31) explicat et, quod in eo non miramur, iustis de causis susceptam fuisse dicit. Memoratu digna sunt et verba Xenophontis III, 2, 23: *ἔδοξε τοῖς ἐφόροις καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ σωφρονίσαι αὐτούς* (scil. *τοὺς Ἠλείους*) et quod Pausanias V, 4, 5 victoriam quandam ab Eleis

---

[1]) Constat vehementer Thebanos, quia iustam ex manubiis in bello Peloponnesiaco factis portionem non acceperant, pristinos socios odisse.

de Lacedaemoniis illo bello reportatam commemorat, de qua nihil in Hellenicis reperitur.

Sequuntur nunc res belli Corinthiaci, quod vocatur, ipsae quas quomodo scripserit Xenophon in ipso puguantium concursu collocatus quam diligentissime scrutati explicemus, praesertim quum ad statum civitatum Graecarum immutandum maximi momenti essent. Atque hoc praemuniendum videtur, eum, qui auctorem in Agesilai exercitu fuisse fortasse ignoraverit, quum quae de rebus a sociis et Spartanis gestis tradit, attente legerit, apud regem versatum esse facile suspicaturum. Nam quae ante reditum Agesilai et pugnam Coroneensem acta sunt, brevissime, ut solet, exponit, ut plura, quae apud alios scriptores leguntur, nescivisse aut, ne gloriam sociorum maximeque Thebanorum amplificaret, reticuisse videatur. Atque bellum hac re motum est. quod Thebani Locros, ut Phocenses lacesserent, impulerunt. Quod cum comperissent Lacedaemonii, Lysandrum et Pausaniam miserunt, qui Thebanorum insolentiam coercerent (III, 5, 5 *ἐλογίζοντο — παῦσαι τῆς εἰς αὐτοὺς ὕβρεως.*) Ante Haliarti muros Lysander cum Boeotis confligit, quo occiso milites Spartanorum fugiunt. Proelium, quo effectum est, ut omnes eorum adversarii, etiam qui adhuc cunctati erant societatem inirent copiasque suas coniungerent, non ea, qua par est, accuratione in Hellenicis expositum esse omnes interpretes uno ore consentiunt. Xenophon enim numerum caesorum tacet, quos apud Lacedaemonios plures quam in exercitu Thebanorum fuisse ex Plut. Lys. 28. 29 et Diod. XIV, 81 scimus. Nihilominus quasi de gloria Boeotorum aliquid detrahere ei in animo fuisset, eos, quum Lacedaemonii se recipientes repente se converterent, plus quam ducentos milites amisisse narrat. Nihil apud Xenophontem de iis, quae ex praelio secuta sunt, quid mali inde ad Lacedaemonios, quid boni ad socios redundarit, invenitur. Ne id quidem certo ex eius ieiuna narratione apparet, Thebanos revera superiores fuisse (cf. Sievers l. c. p. 65 not. 21), quos quanquam Lysandrum, clarissimum ducem, adoriri non dubitaverant, §. 22 tamen tacite magnae ignaviae arguit. Mihi quidem id imprimis mirum videtur, quod obitum ducis, qui id aetatis haud dubie princeps et summus non in patria solum, sed universae Graeciae fuit, obiter tantum, ut rem

haud magni momenti, commemorat neque invitus iis assentior, qui ut Weiskius, multa hic exstirpata esse arbitrantur. Xenophon enim, qui eum ad muros accessisse et quomodo cum hostibus conflixerit, incertum esse dicit, III, 5, 19 ita pergit: *ἐπεὶ δ'ἀποθανόντος Λυσάνδρου ἔφυγον οἱ ἄλλοι πρὸς τὸ ὄρος ἐδίωκον ἐῤῥωμένως οἱ Θηβαῖοι.* Haec omnia de illius morte Quis est. qui hac brevitate delectetur neque quidquam amptius desideret? — Auctori Thebanos invisos fuisse, cuius simultatis plura in Hellenicis vestigia deprehenduntur, neminem invenies, qui aliter sentiat neque difficile est, quid auctori in iis offensioni fuerit intelligere, de qua re cf. Volkmar l. c. p. 8. Num bellum, de quo dicimus, re vera solo Thelanorum impulsu exarserit, variis de causis, quas Grote l. c. V. p. 233 not 12 collegit, dubitandum est et Diod. XIV, 81 bellum contra Phocenses a Thebanis ita susceptnm esse tradit, ut Lacedaemonios provocare in animo iis fuisse non videamus. Utut est, quae praeter illud primum proelium apud Haliartum fortiter gesserunt Thebani sociique [1]), omittit Xenophon subitoque (lib. IV) ad Agesilaum cum regulis quibusdam Asiae colloquentem et matrimonium mulierculae condentem revertitur. Quum res initio sociis tam prospere cessissent, ephori, ut Agesilaum in subsidium vocarent, impulsi sunt, quod ut facerent, necessitate coactos eos esse Xenophon non aperte dicit. Rex, Epicydida misso (IV, 2, 1), dicto audiens reditum, quamvis invitus, in Europam paravit et, ut Xenophon ait, Euxenum cum quatuor millibus militum, qui civitates adversus Persarum impetus tueretur, in Asia reliquit. Singulare est, quod de Euxeno eiusque exercitu postea nihil amplius in Helllenicis legitur. Priores omnino capitis 2 libri IV sectiones nimia brevitate obscuratae videntur, quod plurimi in-

---

[1]) Res illae, Diod. XIV, 38—82 testimonio adhibito, hae sunt. Ac primum quidem Ismenias Thebanus cum Boeotis et Argivis Medium, tyrannum Larissaeum, qui contra Lycophronem, Lacedaemoniis amicum, cui Pherae obnoxiae erant, stabat, sustentavit, ut hunc opprimere posset et plures, quas Xenophon postea (IV, 3, 3) indicat, Thessaliae civitates societati adiunxit. Quo facto, Heraclea Trachiniensi recuperata (cf. supra p. 24) et foedere cum Maliis, Athamanibus, aliis populis icto, Phocenses, cui Lacisthenes Lacedaemonius praeerat, proelio Narycensi devicit. Quae omnia haud ita levia videntur, ut ea a Xenophonte omissa esse non miremur.

terpretes non animadverterunt. Xenophon postquam civitates Asiae Agesilao opem ferre decrevisse et Euxenum relictum esse dicit, plurimos milites (*οἱ πολλοὶ τῶν στρατιωτῶν*) in Asia remanere maluisse scribit (IV, 3, 5). Qui milites? An ii, quos Agesilaus ex patria secum duxerat (*νεοδαμωδεῖς καὶ Πελοποννησίους* III, 4, 2)? — Falso iudicavit Schneiderus, milites mollitie Asiana depravatos bellum in Asia continuare quam contra Graecos in patria redintegrare maluisse annotans. Haec verba sequuntur: *αὐτὸς δὲ ὁρῶν ὅτι οἱ πολλοὶ τῶν στρατιωτῶν μένειν ἐπεθύμουν — βουλόμενος ὡς βελτίστους καὶ πλείστους ἄγειν μεθ' ἑαυτοῦ, ἆθλα προὔθηκε ταῖς πόλεσιν, ἥτις ἄριστον στράτευμα πέμποι κτλ.* Itaque auctor de militibus illarum civitatum dicere videtur, quod quam non dilucide expressum sit neminem fugit.

Proelium ad Nemeam fluvium commissum inde a nona sectione (cap. 2, libr. IV) exponit, in quo id notandum est, Xenophontem in numero militum, qui utrimque in aciem descenderunt, a Diodoro quam maxime dissentire, ut aliquid certi de hac re constituere difficillimum sit (cf. Sievers l. c. p. 68). Neque minus memoratu dignum est, quod socios paene dimidio plus militum habuisse Xenophon narrat nec dicit, penes quem summum sociorum imperium illa die fuerit. Quum hanc negligentiam ei tribuere vix liceat, multa ex catalogo ab epitomatore expuncta esse cum Sieversio (l. c.) putandum esse censeo. Hoc loco novum invidiae auctoris in Thebanos exemplum nobis occurrit quum eos metu Lacedaemoniorum adductos, artificio quodam adhibito, adversus Peloponnesios se collocasse scribat.

Agesilaus Amphipoli commorans a Dercyllida de hac pugna certior fit (IV, 3, 1). Num hic, quem Xenophon legatum ad Tissaphernem missum fuisse III, 4, 6 dixerat, proelio interfuit, ut Grote V, p. 248 nescio qua de causa opinatur? Si dux clarissimus, cuius res gestae in Hellenicis accurate explicantur, pugnae particeps fuit, mirum est, quod Xenophon id omisit, ut etiam Thrasybulum tum Atheniensibus praefuisse (Lys. pro Mantith. p. 159) tacet. Quando Dercyllidas in patriam ex Asia rediit? Videsne quam male res singulae apud Hellenicorum auctorem coaptatae sint, qui, ut ipse (IV, 8, 1) praedicat, gra-

viores tantum ad explicandum eligit, quomodo recte cohaereant, non multum curans? —

Iter, quod fecit rex per Thessaliam et certamina cum eius gentibus ab eo sustentata ea, qua in plerisque eiusmodi rebus uti solet, diligentia describit. Nuntius de Pisandri tristissima clade apud Cnidum advenit, qua principatum Lacedaemoniorum maritimum subito eversum esse constat. Hoc ne leviter quidem indicat Xenophon, qui ex nuntii narratione pugnam navalem sermone, qui vocatur, obliquo quam brevissime exponere satis habet. Maxime autem ea, quae inde a proelio apud Aegospotamos, unde cum paucis navibus Cononem ad Euagoram regem evasisse (I, 2, 24) accepimus, usque ad Cnidense vir fortissimus et amore patriae accensus cum Persis agitaverit molitusque sit, ut patriam perculsam erigeret, in Hellenicis, quae rerum maritimarum parum rationem habent, iure desiderantur. Auctor in doli, quo ne milites suos animus deficeret, Agesilaus cladem celavit quam in ipsius cladis post Arginusensem haud dubie maximae, quam mari Spartani acceperant, descriptione maiore cum delectatione versari videtur. Atque omnino strategematum et consiliorum a ducibus callide et astute susceptorum summus admirator est Xenophon, quod et supra iam in Eteonico, Dercyllida, cuius astutiam collaudat et Agesilao Tissaphernem callide decipiente vidimus et infra saepius reperiemus (cf. locos de Iphicratis dolo IV, 8, 35, de Chabria Gorgopam Lacedaemonium insidiis obtruncante V, 1, 10, de Thibrone IV, 8, 19 et 22).

Praeterea quis Hellenica perlustrans non videat, res, quibus auctorem interfuisse scimus, multo accuratius quam eas, quas ex aliis compertas habuit, explicari? Namque et ex iis, quae mari gesta sunt quaeque quanti momenti essent Xenophon parum perspexisse videtur, tantum quibus nullo modo carere possumus, narrantur et in extrema operis parte res imprimis intra Peloponnesum, ubi auctor per longum tempus commoratus est, ita ab eo exhibentur, ut quae in reliquis Graeciae regionibus, haud raro non minus gravia, accidebant parum diligenter respiciat. Quae ipse expertus est, ea nimis admirari solet, ut pugnam in planicie Coroneensi commissam, ubi eum ab Agesilai latere fuisse certo ex natura narrationis de illo proelio cognoscitur,

inter eas, quae suo tempore factae sunt, nullam habere sui similem existimat (IV, 3,16 *καὶ γὰρ ἐγένετο οἵα οὐκ ἄλλη τῶν ἐφ' ἡμῶν*). Hoc sane obscure est dictum neque liquet, de quibus dissimilitudinibus Xenophon dicat. Si, ut primo obtutu suspicamur, Coroneensem illius aetatis omnium eam fuisse iudicat, in qua plurimi milites utrimque pugnassent aut cecidissent, aut qua opes victoris partis maxime infractae essent, quum qualis fuerit Leuctrica et Mantineensis, reputemus, Xenophontem quasi *παραδόξως* iudicasse manifestum est. Proelium illud, quod idem auctor in Agesilao copiosius describit (c. 13—15), haud incruentum et in quo acerrime utrimque certatum est, adeo vehementer animum Xenophontis commovisse seque memoriae eius infixisse videtur, ut sensu eius praeoccupatus vel deceptus de reliquis, quibus non adfuit, non recte existimaret. Quod si recte statuimus, permultum de Xenophontis arte virtuteque, qua historias suae aetatis scripsit, detrahi necesse est. Ceterum pugnae apud Coroneam descriptionem ab auctore maxime ad Agesilai laudem compositam esse quis est quin intelligat? In illius celeritate consilii et clementia, quam, proelio finito, praestitit, multus est (cf. IV, 3, 19 *ἐνταῦθα δὴ Ἀγησίλαον ἀνδρεῖον μὲν ἔξεστιν εἰπεῖν ἀναμφισβητήτως κτλ.* et IV, 3, 20); Thebanorum praeclaram virtutem obiter modo et per occasionem attingit. Etsi Xenophontis narrationi, quantumvis studii plena ideoque suspecta videtur, plus haud dubie fidei et auctoritatis quam aliis scriptoribus tribuendum est, miramur tamen, quod isti pugnam illam satis dubiam fuisse dicunt (cf. Schneider. ad IV, 3, 21 et Grote V. p. 252 sq.).

Qui seditionem Coriuthiacam, quam deinde (IV, 4) Xenophon exponit, legerit, is et gravitatem orationis uberius fluentis, facile laudabit et scriptorem, quod in eos, qui Laconum studiosos atrocissime obtruncaverunt, non propensa est voluntate, assentietur. Quod vero qui patriam Lacedaemoniis prodere conati sunt, aperte laudat (IV, 4, 1 et 6.), vix tolerabile partium studium est et mira profecto iniustitia. Pasimelo et qui cum eo eraut, qui *πλεῖστοι καὶ βέλτιστοι* fuisse neque quidquam, quo furorem adversariorem excitarent, commisisse dicunter nisi quod pacis amantes erant (*ἐπὶ τὴν εἰρήνην τετραμμένοι* IV, 5, 2), hoc propositum fuisse, ut Corinthum so-

cietati Laconicae adiungerent, quum ex eorum proditione, quam etiam cum adversariis reconciliati parare ausi sunt, tum vero inde apparet, quod armati Craneum contenderunt, ut res iis non imparatis accideret propterea, ut suspicor, quod ipsi ad simile quid instructi, promptitudine autem magistratus oppressi erant (cf. Grote V p. 264). Atque eiusmodi hominibus patriam in libertatem vindicare in animo fuisse pacisque eos studiosos fuisse apud Xenophontem legimus (IV, 4, 6 *πειρωμένους δὲ τὴν πατρίδα, ὥσπερ ἦν καὶ ἐξ ἀρχῆς, Κόρινθον ποιῆσαι καὶ ἐλευθέραν ἀποδεῖξαι — εὐνομίᾳ δὲ χρωμένην* et IV, 4, 1 *οἱ πλεῖστοι καὶ βέλτιστοι αὐτῶν εἰρήνης ἐπεθύμησαν*). Qui de amore, quo causam Laconicam amplexus est, etiamnunc dubitat, is quum legerit, quo gaudio caedes Argivorum a Spartanis „deorum opera", ut opinatur, facta eum afficiat (IV, 4, 12), nos recte existimare fatebitur.

Hoc loco Iphicrates, cuius inde a bello Corinthiaco partes rerum Graecarum praecipuas esse videmus, apud Xenophontem in medium procedit. Praeter Thrasybulum, de quo IV, 8, 31: *Θρασύβουλος μὲν δή, μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι*, ille solus est Atheniensis, quem Xenophon vera admiratione prosecutus est, quantum quidem id, salva Lacedaemoniorum gloria, fieri posset. Quum enim certamen intra muros, qui Corinthum cum Lechaeo coniungebant, describit, uno tantum verbo eum ibi affuisse dicit (IV, 4, 9). Diod. autem XIV, 86 et Polyaen. I, 9, 45, primas illi duci in hac re tribuunt. Novum militum genus, qui peltastae vocantur, ab Iphicrate aliorum testimoniis id temporis inventum, quale fuerit, a Xenophonte, qui rebus militaribus adeo delectabatur, non explicari sane est, quod miremur. Illos milites nec minus socios Peloponnesiacos, qui eos metuebant (IV, 4, 17), a Lacedaemoniis superbe irrisos esse haud gravate, ut videtur, Xenophon tradit immemor, quam formidolosi postea Spartanis extiterint quantaque eos clade affecerint. Sed illam calamitatem atrocissimam ita describit, ut quantopere provideat, ne quid de gloria amicorum detrahatur, nemo non intelligat. Si studium Laconum, quod, si quaequam, haec narratio de morae interfectione redolet, omittas, hic casus, cuius oratores posterae aetatis velut clarissimi Iphicratis facinoris iterum atque iterum mentionem faciunt, a Xe-

nophonte maxime laudabili diligentia explicatur, quippe quem ab Agesilai de foedissima clade nuntium accipientis latere fuisse verisimillimum sit (cf. Grote V p. 277). At complures hic occurrunt loci et ex toto orationis connexu eiecti et nimia obscuritate insignes. Duo exempla afferre satis habeo. IV, 4, 14 bellum inde ex tempore, quo Praxitas Lacedaemonius Siduntam et Crommyona cepit, a militibus mercenariis gestum esse legimus. Quod hic verbis exponitur: *ἐκ δὲ τούτου μεγάλαι στρατιαὶ ἑκατέρων διεπέπαυντο, φρουροὺς δὲ πέμπουσαι αἱ πόλεις, αἱ μὲν ἐς Κόρινθον, αἱ δὲ ἐς Σικυῶνα, ἐφύλαττον τὰ τείχη· μισθοφόρους γε μὴν ἑκάτεροι ἔχοντες διὰ τούτων ἐῤῥωμένως ἐπολέμουν.* Quos exercitus nomine magnorum appellat? Nempe eos, qui civibus constabant, ut ex voce *μισθοφόρους* contrarie posita coniicitur. Sed hoc dicendum erat. Ii, quos *φρουροὺς* appellat, utrum et ipsi ex civibus compositi erant an ex conducticiis? Quomodo fectum est, ut inde ex hoc ipso tempore cives in pugnam descendere desinerent? Cuius rei causas cognoscere quis non gestiat? (cf. Schneid. et Breitenb. ad h. l.) Alterum exemplum est hoc. In eiusdem capitis sectione 17 Corinthum a Lacedaemoniis, castris positis, cinctam fuisse narrat. Tum Athenienses, opes (*ῥώμην*) eorum metuentes, partem murorum, quam Praxitas Spartanus disiecerat, restauraverunt. Sed, quomodo id, Corintho undique circumventa, fieri potuerit, difficile intelligitur. Si Spartani circa urbem modo huc, modo illuc castra moverunt, quam interpretationem ab hoc loco (*κύκλῳ περὶ τὸ ἄστυ τῶνΚορινθίων ἐστρατοπεδεύοντο*) non alienam esse puto, obscuritas orationis recte reprehenditur, quae, ne verus rerum status perspiciatur, impedimento est.

Atque expeditione Agesilai adversus Acarnanes copiosius quam pro momento, quod in ea ad universas res Graecorum erat, descripta (IV c. 6), Xenophon ad res maritimas, quae inde a pugna Cnidensi in Asiae oris, Hellesponto, mari Aegeo gesta sunt, revertitur (IV c. 8). Quid Conon et Pharnabazus, societate inita, spectarent, qua communi utilitate, ut consociati adversus Lacedaemonios pugnarent, impellerentur, haec explicare noluit, et causis rerum, ut saepe, neglectis vel parum cognitis, ipsas res quomodo factae sint, narrare satis habuit. Atque de his ducibus arma coniungentibus iam prius ei dicendum

erat, quum proelii Cnidensis, ubi uterque dimicaverat, mentionem faceret (III, 4, 2). Quae de ceteris rebus, quas Persa et Atheniensis gesserunt, legimus, haud indiligenter sunt exposita, ut duae tantum res desiderentur. Nam neque de Rhodo insula, quam, Agesilao in Asia commorante, a Lacedaemoniorum causa Cononis impulsu defecisse Diod. XIV, 79—73 narrat, uberius aliquid habet neque de Euagorae regis Cypri cum Persis rationibus certaminibusque neque de constantia, qua ab eius societate Athenienses steterunt, omnino quidquam commemorat. An haec omnia inter res *μὴ ἀξίας λόγου* (IV, 8, 1) habuit? Praeterea, id quod in Agesilao toties neque raro in factis eius haud ita magni momenti non negligit, rebus a Conone gestis eiusque summis in patrium meritis ne minimam quidem laudem tribuit. Quis autem eum, cuius sola virtute et perseverantia effectum est, ut firmissimum Athenarum praesidium et propugnaculum renasceretur, a scriptore rerum Atheniensium, qui et ipse Athenis oriundus erat, summopere laudari non expectaverit? Neque quem vitae exitum habuerit vir celeberrimus, apud Xenophontem invenitur. Num in vinculis, quo Tiribazus eum coniecerat (IV, 5, 16), supremum diem obiit? Xenophon quum hanc eius calamitatem narravit, non amplius eum commemorat, quasi haud gravate memoriam viri, qui acerrimum id temporis adversarium Lacedaemoniis se praebuerat, deponens.

Nunc ad pacem Antalcidae venitur, de qua necessaria et memoratu digna Xenophon affert. Quae non multo ante hanc rem tam gravissimam facta sunt, probabiliter exponit, si pauca exceperis. Quis fuit Eteonicus, quem *πάλιν* Aeginam venisse dicit (V, 1, 1), quanquam eum unquam antea eo profectum esse non audivimus. An idem, cuius astutia in rebus angustis II, 1, 5 laudatur? Moris est Xenophontis in Hellenicis, ut nominibus propriis perraro patris nomen adiiciat, cuius rei ambiguitates efficientis iam supra in nomine Euryptolemi exemplum reperimus (cf. Cyprian. ad h. l. p. 79). Eandem difficultatem nobis obiicit vocula *πάλιν* in V, 1, 5. Namque §. 3 ita scribit Xenophon: *ἐκ δὲ τούτου ἀπὸ Λακεδαιμονίων Ἱέραξ ναύαρχος ἀφικνεῖται καὶ παραλαμβάνει τὸ ναυτικόν* (scil. *τὸ ἐν Αἰγίνῃ*). Tum §. 4. discessus Teleutiae, cuius in locum Hierax successerat, accurate describitur. Quo facto §. 5 ita

pergit auctor: *ο δ' αυ Ιέραξ τὰς μὲν ἄλλας ναῦς λαβὼν πάλιν ἔπλει εἰς Ῥόδον.* Plura huius generis exempla afferri possunt, sed ea, quae attuli, satis videntur demonstrare, quam negligenter rerum cohaerentia in Hellenicis, qualia nunc sunt, servetur (cf. Schneider. ad *ἐξέπλει* V, 1, 10).

Xenophon quid de pacis conditionibus, quam rex Persarum Graecis praescripsit, iudicandum sit non dicit. Quodcunque eius Laconum studium erat, vix illam cladem eiusque auctores, qui regem Persarum Graecis adhuc inimicissimum arbitrum rerum Graecarum elegerant, ab eo, qui bellum in hostem superbum Graecis nunquam deponendum esse praedicaverat, laudari potuisse arbitror. Sed de Xenophontis sententia certi aliquid ex Hellenicis evincere non possumus, hoc neminem fugit, rem, quae plurimas in historiis Graecorum momento, quod in ea erat, facile antecedit, velut unam e multis illorum temporum vicissitudinibus neque accuratius neque ita ab auctore narrari, ut quantum rationes, quae inter civitates Graecas adhuc intercesserunt, immutaverit, appareat. Xenophon multum abhorret a vehemente ira atque indignatione, qua posteri, ut Isocrates orator (Paneg. p. 211) et Plato philosophus (Menex. p. 245 d.) in auctores pacis flagrabant. Ne id quidem animadvertit, quam nihil Agesilaus, hostis Persarum olim capitalis, quem ita amabat, quum reliquas Graeciae gentes in foedus Persicum adigendi adeo cupidus esset (cf. V, 1, 32), sibi constaret. Non est Xenophontis singulas res mente et cogitatione acerrime contemplari ac perpendere, in ipsis rebus haerere solet neque quam late vis ac momentum earum pertineat, inquirere et explicare studet.

Hoc iterum ex ratione, qua res Mantineensium exposuit, intelligendum est. In causis, de quibus Lacedaemonii Mantineae bellum intulerunt, explicandis eos, quippe qui levissimis impulsi conditiones pacis modo conciliatae adeo nihil curarent, vehementer reprehendi quis est quin expectet? Sed nihil eiusmodi legitur. Xenophon, quem multitudinis imperio mimine favere scimus, Lacedaemonios quum Mantineam oppidum in quatuor vicos distrahi iuberent virorumque popularium imperio finem imponerent, magnum beneficium miseris incolis addidisse atque ita hos ipsos sensisse iudicat, non memor, quam celeriter urbs,

quando fieri potuit, a Mantineensibus in pristinum statum reducta sit, quod ipse narrat (VI, 5, 3).

Atque eandem iniustitiam Lacedaemonii quum paulo post (V, 2, 8) Phliasiis bellum inferrent, commiserunt, quod ex caussis, quas Xenophon incredibili ingenuitate sinceritateque, quasi omnes recte se habuissent, exponit, videmus. Ex V, 3, 20 ubi Agesipolin ἀντίπαλον Agesilai fuisse legimus, sed cur ei adversatus sit ab auctore omittitur, et ex V, 3, 16, ubi quosdam Lacedaemonios de expeditione in Phliuntem expostulantes facit coniiciendum est, Lacedaemonios ipsos de iure, quo hanc urbem aggressi erant, dissensisse. Quibus locis si Diod. XV, 19 locum discidia regum illorum explicantis adiungimus, manifesto apparet, multa hic et praecipue quae ad intestinum reipublicae Laconicae statum cognoscendum necessaria sunt, a Xenophonte, qui fere nihil respicit nisi res bellicas, omissa esse.

Bellum Olynthiacum quod tam copiose ac diligenter descripsit, valde laetamur nec minus delectamur, quum dilucidam et ornatam de turpissima Cadmeae occupatione et de audaci exsulum Thebanorum facinore, quo patriam foedissima dominatione liberaverunt, narrationem legamus, ut quanquam Xenophon in singulis quibusdam rebus a posterae aetatis scriptoribus discrepat (de quibus cf. Sievers.), fidem tamen ei habere non dubitemus. Hic aliquis miretur, quod non solum non commemorat, Pelopidam multa ad libertatem patriae restituendam contulisse sed ne nomen quidem viri clarissimi inter coniuratos apud Xenophontem invenitur. Cuius rei singularis causam nisi invidiae, qua in Thebanos flagrabat auctor, tribuere velimus, vix alia reliqua est, quae probabilis videatur. Xenophontem enim omnia de Thebarum liberatione comperta habuisse, ex accurata descriptione, quam epitomatoris manus non laesisse videtur, intelligitur. Accedit, quod de Pelopidae facinoribus, quibus summam gloriam conciliavit, ut de proelio Tegyrensi (Plut. Pelop. XVI et XVII; Diod. XV, 37), quo moras Lacedaedaemoniorum numero superiores devicit et de iis, quae in Thessalia postero tempore fortiter gessit, nihil in Hellenicis leguntur. Semel Xenophon eius mentionem facit, quum inter legatos Graecorum apud regem Persarum esset idque ita, ut The-

bano arrogantiam superbiamque in Lacedaemonios exprobret. Ut de Pelopida, ita de Epaminonda, quem ne in Leuctrica quidem pugna commemorat, permulta a Xenophonte taceri infra videbimus.

Si Xenophontem nimia admiratione res Lacedaemoniorum prosecutum esse ex iis, queе adhuc disputavimus, intelligitur, reputantibus nobis, quae initio capitis 4 libri V de impietate eorum ac perfidia praefatus est, hoc vitium exuisse et deinde sine ira et studio iudicare velle videtur. Locus ille variis de causis memorabile est, propterea maxime, quia auctorem, id quod a consuetudine eius abhorret, ad quandam subtiliorem ratiocinationem descendere causasque rerum, quas modo narraverat, inquirere studere videmus. At hic quoque multum abest, ut nobis satisfiat. Flagitia, quae multa post pacem Antalcidae quum intra Peloponnesum tum vero in Boeotia Lacedaemonii perpetraverant et exitiabiles calamitates, in quas paulo post inciderant, quin etiam Xenophontem eorum admiratorem virumque ceteris in rebus ad cogitandum tardiorem ad id invitarent, vix fieri non potuit. Sed non inde causas repetit, unde debebat. Iam supra, maxime quum Cinadonis conspirationem narraret, vidimus quam studiose res reipublicae domesticas, Spartanorum, quorum proceres ut Lysander, Agesilaus, Phoebidas, alii a prisca virtute declinabant et immodica sane ambitione vexabantur, graves dissensiones, unde omnia illa mala profecta esse constat, occulat tanquam veritus, ne lectores iniquius de Spartanis existiment. In hac re ita sibi constat, ut ne nunc quidem verum, quod ante pedes est, videat et quum causam aliquam proferri necesse sit, deorum ultionem propter apertam in Thebanos iniuriam irascentium in medium vocet. Atque ad Agesilaum quoque, de quo nihil adhuc nisi laudes attulit, crimen impietatis, quod Lacedaemoniis obiicitur, pertinere ex Xenophontis ipsius verbis evinci potest, quanquam aperte eum reprehendere non sustinet. Lib. V, 2, 32 Agesilaum, nuntio expugnationis Cadmeae Spartam allato, quum plurimi Lacedaemonii Phoebidae ob id ipsum vehementer irascerentur, dixisse scribit, Phoebidam, si rem ex republica fecisset, laudem mereri. Quomodo Xenophontem fugere potuit, quam turpiter et indigne ille iudicaret? Quod fecit Phoebidas Lace-

daemoniis haud dubie utilissimum, quippe quod dominationem eorum corroboraret, at minime honestum fuit. Tamen Phoebidam ex sententia regis peccavisse inde patet, quod, quum primo Agesilaus, ne tyrannos adiuvare videretur, exercitui in Thebanos misso praeesse nollet, postea illud imperium accepit. Nonne mirum est, quod Xenophon non intellexit, quam perfide is, quem summo amore amplexus erat, et iudicaret et ageret?

Irruptiones Lacedaemoniorum in Boeotorum agros per plures deinceps annos factas nunc describit Xenophon neque ullam praetermittit occasionem laudes bellicas quum omnium Laconum tum maxime Agesilai proferendi. Quod inde vides, quod singulas res graviores et minus iis gloriosas (ut certamen apud Tegyras cf. supra p. 43) aut quae ab eorum adversariis excellenter gesta sunt, omittit. Artificium militare, quo Chabrias Atheniensis Agesilao restitit (Polyaen. II, 1, 2, Nep. Chabr. 1) ignorat, quod eo magis mirum est, quum haec res Agesilaum laudandi occasionem praeberet (cf. Sievers l. c. p. 205 not. 16) Ignaviam Thebanis obiicit (V, 4, 40 *ἐῴκεσαν ὑποπεπωκόσι που ἐν μεσημβρίᾳ*; § 42 *δεινὸς φόβος τῷ στρατεύματι* (sc. *τῶν Θηβαίων*) *ἐνέπεσεν*; cf. §. 50 eosque conscientia parvulae victoriae nimis elatos fuisse ita dicit: *τὰ τῶν Θηβαίων ἀνεζωπυρεῖτο* § 46). Agesilai et Cleombroti expeditionibus, quae nihil ad bellum conficiendum contulerunt, perlustratis, nonnullas sectiones de rebus, quae interea mari gestae sunt, addit, quod negotium ea, quam cognovimus, brevitate transigit. Quam obiter et obscure pugna apud Naxum insulam, quae post Arginusensem prima erat sola Atheniensium classe commissa, exponitur. Nihil de defectione Euboeae narrat imprimisqae desideratur, quam vehementer laborarint Athenienses, ut, novo foedere cum pluribus civitatibus icto novisque vectigalibus sibi impositis, principatum maritimum recuperarent. Haud dubie rei maritimae, ut supra iam diximus, in Hellenicis exilissime omnium explanantur, praecipue in posterioribus quinque libris, neque est, quod hoc maximum vitium, quum idem per illos libros sit, soli epitomatori tribuamus. Dum illae pugnae navales committuntur, Xenophon in Peloponneso versatus est et res id aetatis mari semper fere male a Lacedaemoniis gestae sunt. Quod utrumque si reputamus, non iam mirabimur. Suspicor res, qui-

bus ipse non interfuit, maxime ex ore Spartanorum eum audivisse, quum omnes orationes, quas in posterioribus libris inseruit, aut Spartae aut coram pluribus Lacedaemoniis habitas esse videamus. Atque ita quoque factum est, ut quo propius ad finem Hellenicorum accedimus, eo magis opus Xenophonteum Peloponnesiacorum quam Graecorum historia videatur esse.

Inaequalis modus, quem in rebus scribendis Xenophon secutus est, in libro VI evidens et manifestus est. Jasonis Pheraei consilia resque gestas abunde explicat, quae pro pugna Leuctrica brevius dicenda erant. Polydamantis et Cligenis Aeanthii legatorum longae orationes diligentissime conscriptae documento sunt, quantopere δραματικῶς, ut ita dicam, res scribendi studiosus Xenophon sit. Utramque opus Xenophonteum esse apparet, quas auctor idcirco interposuit, ut lectores de Iasonis et aliorum rebus antea commemorandis certiores fierent. Quod, priusquam proelium apud Leuctra exponendum suscipit, Xenophon praemunit: Lacedaemonios, ut Prothoi salutare consilium repudiarent, a daemone quodam impulsos fuisse (VI, 4, 2), id narrare videtur, ut ignominiam cladis, qua tot tantarumque iniuriarum Lacedaemonii poenas dederunt, aliquo modo dimimueret. Causas, quibus duces Thebanos, ut in aciem descenderent adductos fuisse scribit (VI, 4, 6), iis et inprimis Epaminonda indignas esse quis est, qui infitietur? Epaminondae neque nomen neque novam rationem, qua aciem instruxit (Diod. XV, 55. Plut. Pelop. 23), commemorat. Copiosus est in difficultatibus, quibus ante certamen Ladaemonii impediti fuissent, enarrandis, ne gloria adversariornm nimia videatur. Virtutem Lacedaemoniorum initio fortiter resistentium collaudat et aperte gaudet, quod Thebani a Iasone se interponente decepti sunt. In tota proelii narratione iusto breviore ne minimum quidem laudis Thebanis tribuit. Quam vero multus est in constantia, qua Lacedaemonii tot nobilium virorum caedem perpessi sunt, laudanda, quod idem alio iam loco fecerat, ubi quae fuisset civitatis Laconicae facies, nuntio de morae caede accepto, narravit (IV, 5, 14). Multa alia proferri possunt, quae quam iniquum Thebanorum iudicem et quam fide indignum scriptorem in rebus eorum conscribendis Xenophon se praestiterit, ostendunt. Sed haec hactenus.

Quid pugna ad opes potentiamque Spartanorum debilitandas vel potius profligandas valuerit, Xenophon noluit nos docere, quod haudquaquam miramur. Quanquam id eum prorsus fugisse vix credibile est. Hellenica ipsa si vel obiter oculis collustramus et quali facie sint inde a VI, 4, 17 usque ad finem libri VII, consideramus, aperte prae se ferunt, quam deiectae perditaeque res eorum fuerint. Neque enim amplius eos extra Peloponnesum, ut aliquem vexarent, cum exercitu profectos esse audimus et maritimum imperium Atheniensibus socii ultro concesserunt ad necessitatem redacti, Laconicam ipsam eiusque caput adversus hostes tutari. Quae quum ita essent, vix erat, quod Xenophon ea, quae res ipsae demonstrant, liquide explicaret. In extremo libri VI capite totoque libro VII reliquarum civitatum Graecarum rebus prorsus fere neglectis, tantum in discordiis, in quas Peloponnesiaci post pugnam Leuctricam, Thebanis infesto agmine identidem in paeninsulam irrumpentibus, inciderunt, versatur. Quanquam non omnia, quae dicenda erant, reperiuntur. Athenienses, societate cum Spartanis inita, mari, ubi nunc soli inter Graecos rursus imperabant, rem acrius gerere coeperunt. Timotheum, cuius res gestas ut Sami insulae recuperationem (Isocr. de perm. p. 69, Dem. de Rhod. lib. p. 192) in Hellenicis maxime neglexit Xenophon, et Iphicratem quum in oris Macedoniae tum in Chersoneso, ut potentiam patriae ibi iacentem erigerent et confirmarent, acres et industrios fuisse non legimus. Quae post Iasonis Pheraei obitum Thebani in Thessalia gesserunt (cf. quae supra de Pelopida diximus), haud exigui momeuti fuisse ex obscuris Xenophontis verbis intelligitur, qui VII, 1, 28 Athenienses iis in hac regione obsistere decrevisse idque Spartanis probatum fuisse scribit. Sed neque Thabanorum neque Atheniensium in illa terra facta exponit. Praeterea de Epaminondae consilio Thebanis imperium maritimum parandi eiusque Byzantium navigatione nihil habet. Pari modo neglexit rationes, quae post annum 371 inter Persas civitatesque Graecas intercedebant. Qua de causa Ariobarzanes, quum Philiscum cum pecuniis in Graeciam mitteret, se in Graecorum res interposuerit ex exilissima huius rei notatione non liquet (VII, I, 27 ἔρχεται Φιλίσκος Ἀβυδηνὸς παρ' Ἀριοβαρζάνους χρήματα ἔχων πολλά). Utrum satrapa a rege

iussus an sua sponte, ut Graecos in defectione, quam moliebatur, adiutores haberet, illum misit? Neque quid Dionysium, qui Lacedaemoniis semel atque iterum auxilia suppeditavit (VII, 1, 20. 22. 28), ad tantam constantiam impulerit, audimus. Quae omnia quis ab auctore, qui res illius aetatis Graecas explicandas susceperit, omissa esse non aegre ferat? Xenophon rebus Laconicis desperatis adeo occupatus fuisse videtur, ut quae non multum ad eas pertinebant, ne animadverteret quidem.

Atque etiam quae post pugnam Leuctricam in Peloponneso gesta sunt, ea ita enarrat, ut non omnia, quae exoptamus, expleat. Haud parva obscuritas eius narrationi inde accessit, quod a consuetudine res promiscue, non ex temporum ordine componendi etiam in his rebus adeo implicitis et confusis recedere noluit. Quae de Phliasiis ad eorum perseverantiam, qua in foedere Laconico fuerant, celebrandam multa, quamvis ad ipsum bellum minimi momenti essent, in unum locum congerit, diversis annis facta sunt neque ex obscuris temporum notis liquet, quid cuique singulo anno tribuendum sit. Eodem modo res se habet in Euphronis tyranni Sicyonici rebus (VII, 1, 44—46; VII, 2, 11—16; VII, 3, 1). In rebus autem ipsis scribendis talem se adhibet Xenophon, ut a qua dimicantium parte steterit, neminem fugere possit. Ne, singula perlustrans, taedium lectori afferam, summatim ea indicare satis habeo. Ac primum quidem Messenam imprimis Epaminonda auctore ex diuturna Lacedaemoniorum servitute secundum pavis Antalcidensis modo renovatae conditiones iure ereptam esse atque liberatos unum caput commune, ut Arcades Mantineam, condidisse (Plut. Pelop. 34) ex Xenophonte non cognoscimus. Estne credibile, Xenophontem hanc gravissimam cladem, quam Thebani Lacedaemoniis inflixerunt, ignorasse? Ducis eorum clarissimi, quem in secunda demum expeditione Peloponnesiaca commemorat (VII, 1, 41), quae fuerint partes quum in primo impetu adversus Spartam urbem, quam ne hostes caperent sola Agesilai militumque fortitudine et deorum ope factum esse dicit (VII, 5, 10), tum in variis rebus per quatuor illas expeditiones a Thebanis in Peloponneso fortiter excellenterque gestis (ut apud Oneum VII, 1, 14 sq. Diod. XV, 69), non apparet. Si VII, 1, 41 nomen eius primo nobis occurrit, videas, quam modo

obiter et casu id fiat, ut si ab eo loco abesset, id fortasse non miraremur. In pugna Mantineensi peritiam eius rei militaris laudat (VII, 5, 20 et VII, 5, 8), sed quis non miratur, quod praeter illam gloriam nihil aliud in eo memoratu dignum habet? An Ciceroni Epaminondam summum et maximum inter Graecos fuisse dicenti unquam crederemus, si ex testimoniis Xenophontis aequalis nobis de eo iudicandum esset? Si laudes bellicae Epaminondae in hac pugna tantae fuerunt, quo factum est, ut earum in pugna Leuctrica, unde Thebanos propter eandem eximiam artem, quam in acie instruenda dux praestitit, superiores discessisse constat, mentionem non faceret? Quantopere animus Xenophontis a Thebanis, ut Peloponnesum sibi obnoxiam redderent, eo irrumpentibus abhorreat, inde patet, quod Lycomedem Arcadem de ambitione eorum copiose expostulantem inducit (VII, 1, 23 sq.), ut cum eo idem sensisse videatur, et quod qui Thebanis obnitebantur *κηδόμενοι τῆς Πελοποννήσου* (VII, 5, 1) ab eo appellantur. Iphicratem exitu e Peloponneso Thebanis intercludere a populo iussum, cuius virtutem bellique peritiam ceteris in rebus tantopere laudat (cf. inprimis VI, 2, 27 et VI, 5, 51 *εἰ μὲν οὖν ἄλλο καλῶς ἐστρατήγησε, οὐ ψέγω*), quod munere parum fortiter functus homines invisos incolumes domum proficisci passus est, acriter reprehendit, causae tamen, quas vituperationis affert, num probari possint, valde dubium est. (cf. Grote V. p. 497 not. 154).

Denique ne nimium narrationi Xenophonteae in hac historiarum parte tribuamus animadvertendi sunt et complures loci obscurius expressi (cf. VII, 2, 4 *προσήνεγκαν λόγον τῶν Φλιασίων φυγάδες* — quibus? VII, 2, 8 *κατὰ κεφαλήν*, ad quem locum cf. Mori et Schneideri annotationes; VII, 2, 18 *ἀγοράσαντες*, Palmer. Exerc. p. 75 et Schneid.) et, quod, ut iam vidimus, saepe in Hellenicis occurrit, connexus inter singulas res parum arcte constitutus. Huius generis unum tantum ex hac operis parte exemplum, quod sub oculis positum est, notare satis sit! Initio capitis 4 (libri VII), postquam, quam callide Euphron Sicyone rerum potitus sit, expositum est, Oropum ab exsulibus captam esse audimus. Qui fuerunt illi exsules et unde venerunt? Quomodo res Oropenses, quarum hoc tantum loco ad tempus, quo Arcades et Sicyonii portum Euphroni rursus

eripuerunt, melius statuendum, mentio fit, id aetatis omnino se habebant? Nonne mirum est, quod certamina de hac urbe inter Boeotos et Atticos per multum temporis gesta (Diod. XIV, 17 et XV, 76) prorsus omisit? Haec quoque res, ut aliae multae, a toto historiae corpore adeo divulsa esse videtur, ut reliquias narrationis accuratioris eam esse coniiciamus.

Sed finem faciamus huius disputationis, cui vitia et virtutes Hellenicorum maxime conspicua investigare propositum fuit. Haud difficile est, iis, quae notavimus, multa consimilia adiicere, haec autem ad certum de illo opere iudicium ferendum satis videntur esse. Quaecunque epitomator invidiosus inde abstulit, summam tamen laudem, quae in rerum scriptorem cadit, integritatem iudicii neque ira neque studio corrupti Xenophonti nequaquam tribuendam esse censeo.

VITA.

Guilelmus Meyer natus sum XXXI. die mensis Januarii anni h. s. XLI Rinbergae, in vico Pommeraniae, patre Guilelmo, publicorum vectigalium custode, et matre Friderica e gente Eickiana, qua adhuc superstite laetor. Primis litterarum elementis a patre imbutus anno h. s. LVII Berolinum me contuli et gymnasii Joachimici discipulis adscriptus Mauricii Seyffert et Adolphi Kirchhoff praeclara institutione usus sum. Postquam per biennium privatis studiis me dedissem, anno h. s. LXI in gymnasio Berolinensi, cui Bonnell praeest, testimonium maturitatis accepi. Munere praeceptoris in familia nobilissima prope Francofurtum functus, quum anno LXIV Halas profectus essem, rectore Eduardo Heine, inter cives academicos receptus sum. Quum aliorum, tum maxime G. Bernhardii et Th. Bergkii scholis tam publicis quam privatis per triennium usus simulque sodalis ordinarius seminario philologico nec non societati philologicae, cui Th. Bergk praeest, per quatuor semestria addictus sum. Quum anno LXVI cum dissertatione „de Xenophontis Hellenicis", quam philosophi commilitonibus proposuerant, in certamen litterarium descendissem, nataliciis augustissimi regis anni LXVII integro praemio publice sum condecoratus.

THESES.

I.

Vitas excellentium imperatorum, quae nomine Cornelii Nepotis inscriptae feruntur, ex institutione puerorum eiiciendas esse arbitror.

II.

In loco Velleii Paterc. II, 26 „Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiae filia, uxor Antisti: quae ingulato, ut praediximus, viro, gladio se ipsum transfixit. Quantum huius gloriae famaeque accessit! nunc virtute eminet, patria latet.“ nihil extirpatum esse contra Kritzium sentio.

III.

In lege, quae Demosth. Aristocrateae § 62 inserta est, vocem ϑεσμός ad omnes leges ab oratore iam allatas, non solum ad eam, quae modo antecedit, respicere contendo.